UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri Disertissimi, Opera quæ exstant omnia

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

Philosopgicæ Consolationes, Et Meditationes In Adversis: Iacobi Sadoleti Cardinalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-69244

Visual Library

# *Philoſophicæ* CONSOLATIONES, ET MEDITATIONES IN ADVERSIS: IACOBI SADOLETI CARDInalis.

*IOANNI CAMERARIO DALBVRGIO, Pontifici Vormacienſi, Iacobus Sadoletus, cubicularius Apoſtolicus, S.*

POSTEAQVAM certior factus ſum, de lugubri atque acerbiſſimo tuæ Matris obitu, fæminæ ſanctiſſimæ, & ſingularis exempli Matronæ, nec minus ob alia tibi charæ, quàm quòd mater erat: non potui, mi amantiſſime pater, non vehementer commoueri animo, ac grauiter moleſteque ferre. Quicquid enim calamitatis incommodique tibi acciderit, pro ea, qua inuicem iuncti conglutinatique ſumus beneuolentia, mihi quoque ipſi commune vt exiſtimem, neceſſe eſt. Quod autem nihil hactenus ad te ſcripſerim, doloremque tuum quod inprimis erat officii mei, non ſim conſolatus, id potiſſimum cauſæ fuit: Quia cùm Matrem amiſeris, quam tum humanitate tua, tum propter eius vitæ ſanctimoniam, reliquasque innumeras corporis animique dotes egregias, non tantummodo matris, verùm etiam numinis cuiuſdam ſalutaris haberes loco: Illa autem iam te non ſolum diligeret vt filium, ſed etiam vt patrem & obſeruaret & veneraretur: ac propter huiuſmodi grauem atque acerbam calamitatem, conſternatum fractumque animo eſſe te non mediocriter, audirem: ſub ipſum mortis tempus, recentique mœrore vexatum, interpellare adhortariq; vt æquo & patienti animo quicquid acciderit ferres, & importunũ & ineptũ videbatur. Quin potius tecum ſimul dolere, angiq; non mediocriter, & tempo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tempore, iudicio meo, neceſſarium erat, idque facere hac in re, quod periti prudentesque medici conſueuerunt. Non enim ad continuos vehementesque effluxionum impetus, ſtatim medicinarum auxilium adhibent, ſed quibuſdam primo vnguentorum excernentibus in locis appoſitionibus ac delinimentis, ardorem illum incendentem, donec per ſeipſum matureſcat, dimittunt. Cū agitur tantum interceſſerit ſpatij: quo, cùm tempore, quod omnia reddere matura ſolet, tum etiam prudentia tua, vulnus hoc, quamquam graue, non ſolùm medicam manum non reformidet, verum etiam libenter admittere, & quodammodo requirere videatur: conueniens eſſe nobis perſuaſimus, vt tentaremus conſolationis genus aliquod inuenire, quod dolorem tuum leniret atque remitteret. Nullum autem, cogitantibus nobis diligenterq; conſiderantibus tibi, viro præſertim bonarum artium eruditiſſimo & ſanctioris philoſophię ſtudioſo, aptius viſum eſt, magisq; idoneum, quam ſi id oratione faceremus. Quippe quæ, vt eſt in Græcorum prouerbio, ægrotantis animæ curatio eſſe optima perhibent. Verumque illud, ac diuinum ſapientiſſimi Tragœdiarum ſcriptoris Euripidis propemodum eſt: vt vnuſquiſq; morbus proprio pharmaco, ita etiam inteſtinus animi dolor humana benignaque familiarium oratione curatur. Itaque ſic accipias velim epiſtolam hanc, tanquam ad leuandam animi tui moleſtiam atque vtilitatem quam maximè accommodatam, ac tibi miſſam ab eo, qui te grauiſſimis de cauſis non mediocriter amat, & huiuſmodi perturbationis calamitatisq; non eſt inexpertus. Paucis enim (vt ſatis te puto) antè annis, itidem ego dulciſſimæ genitricis matris crudeliſſima nece grauiſſimum vulnus accepi. Quam ob rem ea, quæ mihi ipſi tunc & dixi & conſului: ſi quid etiam amplius ex antiquorum librorum lectione poſtea cōparaui: tecū pro noſtra beneuolentia cõmunicare decreui. Id quod equidē facio, non quòd mihi ſit à memetipſo, aut ab aliis perſuaſum, cõmentationibus noſtris te magnopere indigere, cuius ęquitas, & moderatio animi ſingularis, probè perſpecta eſt omnibus, & iampridem in noſtris rebus arduis cognita etiam nobis: Sed cùm ſis vtriuſque linguæ doctiſſimus, ac ſcientiæ ciuilis põtificaliſque conſultus, & in omni genere diſciplinarum vel vnicus ætate noſtra longè conſummatiſſimus, adeò, vt pro exquiſita illa, & certè rariſſima diuinarum humanarumque rerum cognitione, qua polles, in vniuerſum, & quaſi ex toto, nihil in te deſiderari poſſit: quod ad hominum virum, præſtantiſſimum ſapientiæ doctorem, optimum principalem pertinere videatur, hæc tibi omnino, qualiacunq; ſint tamen, cenſui ſcribenda. Primùm, vt inopiæ & egeſtati propriæ condolens, in tanta magnitudine priſtini doloris me ipſum conſolarer: Deinde vt pulſa grauiter ſocordia, & omnis inſcitiæ pu-

dore depoſito, non erubeſcerem, ſed aliquando auderem, bea
Latinorum copiam experiendo, & ex felicibus quondam Græ
rum ſyluis aliquid eruendo, tandem ſecurior perſpicaciſſimi
ſublimis iudicij tui cenſuram, vel potius expertæ benignitatis
dulgentiam, ſubire. Hanc enim ſemper amaui: alteram verò
quam acerrimam, ab ineunte adoleſcentia ſemper non modò
mihi non valde pertimeſcendam, qui parũ induſtria, parum in
nii acumine & arte dicẽdi valeo: ſed etiam doctiſſimo cuiq;, c
ramuis diſerto aut eloquenti, non immeritò exiſtimaui pl
mùm reformidandam. Reliquum poſtremò conſilium fuit, h
omnino temerè hac in re noſtram explicare ſententiam: vt m
hi in præſenti, amicus aliquis, aut familiaris antiquus, imbe
lior, & prudentiæ inferioris, communiter eſſet conſolandus,
quidem illum quaſi me alterum diligerem & ſecundum te
ſeruarem: aliqua ratione tibi, quàm cuiquam alteri, prius co
re poſſet, palamque fieret, qua id ego maximè via tentandum
ficiendumque fortaſſis putarem.

Hoc itaque primum & maximum ſic habeto: cùm multa
affectuum genera, quibus hominum animus & perturbatur &
ficitur, nullum immoderato effrenatoque dolore grauius, a
bius, pernicioſius, quodq; minus hominem deceat, natum e
Multos enim propter dolorem in amentiam & inſaniã, quoſd
in morbos non curabiles incidiſſe: aliquos verò ſibi ipſis man
intuliſſe, apertius eſt, quàm vt exemplis, quæ plurima ſuppetun
agere neceſſe ſit. Hæc enim ſunt quæ poëtis argumenta, & m
ximè Tragicis, ampliſſima in ſcenam ſubminiſtrauerunt. Nu
tamen pacto exiſtimes velim, cùm hæc de dolore ad te ſcribo, p
tare me ideo non dãdam eſſe tibi veniam, quod Matris tuæ m
tem grauiter moleſteq; feras: quin potiùs affirmo, dolorem, q
ex familiarium nece concepimus animo, non in nobis ipſis e
ac conſtare: ſed à natura ipſa originem ſumere. Omnes morta
ita non inſtituti ſed nati ſumus, vt eorum, quibus cum diutiſſi
vixerimus, præſentia & conſuetudine lætemur, abſentia verò
peregrinatione contriſtemur.

*Nam pia mens nobis, molli nec pectore ſaeuus*
*Eſt animus, duróue rigent præcordia ferro:*

vt Calypſo ait apud Homerum. Neque ſum ita inhumanus, v
cenſeam eos eſſe probandos, qui in familiarium & propinquorũ
mortibus, agreſtem & ferinam potiùs quam virilem, ſeu duritiem
ſeu aſperitatem, magnopere commendare ſolent: cùm præſertim
ea & naturam noſtram excedat, & non modò nulla in re nobis
conferat, ſed, quod deterius eſt, non mediocri afficiat detrimen
to. Hoc enim modo è medio tollectur ac diſſoluetur ea, quæ ex eo,
quòd inuicem & amamur, & amamus, conſtata eſt mutua beneuo
le-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bonis: quam præ cæteris rebus conſeruari augeriq́ue neceſſe eſt.
Efferri autem extra menſuram, doloreq; tanquam torrẽtis cuiuſ-
dam impetu, rapi, ac luctus augere, contra naturam, eſſe & fieri
ex ſtulta falſaq;, quam nobis perſuaſimus, opinione, omnino vi-
detur. Quapropter vt aſperitas illa nimia, ita hæc mollities, vtpo-
te damnoſa & vana, virisq; ſtudioſis minimè conueniens, abiici-
enda: mediocritas verò, quam cùm omnibus in rebus, tum maxi-
mè in dolore auream appellauerim, amplectendã. Cupiamus e-
nim vt rectè Academicus Crantor monet, ne vnquam ægrote-
mus: ægrotantibus verò, ſenſus doloris adſit: cùm noſtri pars vel
inciditur vel euellatur. Hæc namque corporis & animi (vt ita di-
xerim) indolentia, non ſine ingenti mercede ac pœna innaſcitur
homini: cùm omnino neceſſarium ſit, in hac quidem poſteriori
animum, in illa verò ſuperiore corpus efferari. Quamobrem eos
qui prudentes ſunt, neque omnino immobiles eſſe ac huiuſmodi
calamitatum genere non affici: rurſus verò eos mœrore ac mole-
ſtia confici non debere: ratio ipſa dictat & præcipit. Vt enim illud
aſperum immite ac ferinum, ita hoc molle diſſolutum effemina-
tumque eſt. Qui autem in huiuſcemodi rebus terminos fineſque
propoſitos non tranſgreditur, optima cum ratione, quæcunque ac-
ciderint in vita, ſiue bona ſiue mala ſint, modeſtè commodeq; fer-
re ac tolerare poteſt. Quemadmodum enim in Republica vſu ue-
nit, vt magiſtratus ſorte tradantur: & eum, cui ſors euenerit, im-
perare: qui verò aſſequi non poteſt, non moleſtè ſed patienter
ferre fortunam ſuam decet: ſic & in vita quodcunque eueniat,
benignè ac facile tolerare, nec fortunam accuſare, ſed ſequi, ei-
que obedire neceſſe eſt. Qui enim facere hoc non poteſt, idem
quoque bona in fortuna felicitateque non mediocris, ſed inſo-
lens ſuperbuſque omnino futurus eſt. Quamobrem benè Tragi-
cus quidam: Neminem felicitate fortunaq; aliqua, plus iuſto ef-
ferri aut gloriari debere: nec rurſus infortunio aut caſu remitti
deiicique, ſed vtrobiq; fortiter manendum, & tanquã in igne au-
rũ, ita conſeruandam eſſe in calamitatib. conſtantiam, præcipit.
Eſt n. benè inſtituti & prudentis viri officiũ, generosè ac fortiter
ſeruare modũ in rebus, tum ſecundis tũ aduerſis: ad hocq; præci-
puè ratione ſeſe parabit, confirmatusq. erit: vt, quod Oratius ſcri-
bit, vt ipſe ait, Iupiter: vt ego, Deus: modò tranquillitatem, modò
informes hyemes reducat: Verumq; eſſe Homericum illud putet:
Deos hominib. non omnia ſimul conceſſiſſe: Cumq. aliquid in v-
tramuis euenerit partem, ſtatim ratione ac prudentia monente
conſiderabit, nullũ omnino eſſe mortalẽ felicẽ: & id, quod fieri
neceſſe eſt, non fieri, penitùs impoſſibile. Quemadmodum e-
nim in plantis & ſegetib. aliquando fructuũ prouentus vberes, a-
liquando ſteriles: ſic ẽt in animatis reb. generationes modò, mo-

dò corruptiones fiunt, vtq; in mari partim tranquillitas eſt: partim verò tẽpeſtas horrida omnia confundit & turbat: ſic multæ variæq; reuolutiones, hominẽ in contrarios caſus & euentus cũducunt. Quos ſi diligenter conſideremus, non ab re quod Agamemnoni dicitur in Tragœdiis, nobis item ipſis dicere poſſumus: Nos non, vt bonis omnibus frueremur, natos: ſed, velimus nolimúſue, neceſſe eſt, poſtquam mortales ſumus, modò gaudere, modò dolere. Quamobrem diuinè admodum, vt pleraq; alia, Socrates in Phædone: Quàm miranda, inquit, res, ſocii, eſſe videtur, id quod appellant homines ſuaue ac voluptuoſum; quam admirabiliter ex ſui ipſius natura ingenitum eſt, vt cũ eo, quod omnino cõtrariũ eius exiſtimatur eſſe, inſuaui ſcil. ac luctuoſo, concors pacificumque ſit. Ambo etenim ſimul nullo pacto, apud eundem hominem, eodemq; tempore, diuertere volunt. Sed ſi quis ex his alterum ſequatur & aſſequatur, eundem quaſi ſemper neceſſitate vrgeri, cogique vt recipiat etiam alterum: quaſi vtraque ab eodem vertice ac principio ſimul iunctis, cùm tamen duo ſint. Hæc Socrates: à quib. Tragicum illud fluxiſſe videtur: Nulla ſors longa eſt: dolor & voluptas inuicem cedũt: breuior voluptas. His quoque nec diſſonare videntur ea, quæ clariſſimus comicorũ Menander prudentiſſimè ait: Nullũ eſſe animal quod celeriùs in luctum & miſeriam ex felicitate mutetur quam homo. Quod quidem non abſq; ratione ſumma euenit. Cùm enim aliis omnibus natura debiliores infirmioresq; nos ſimus, maximis tamen rebus nos donat fortuna. Quas cùm poſtea ipſi repetere viſum eſt, tanquam ex præcipitio quodam deiectis plurima illa & maxima bona nobiſcum deiiciuntur & conteruntur. Quæ conſiderans poëta quidam Grçcus, licet iocosè, non abſurdè tamen in epigrammatib. ait: Hominum vitam nihil aliud eſſe, quam luſum aleamq; fortunæ ludentis: vt per hoc inſtabilitatem eius, indicaret quodammodo demonſtraret. Cùm tamẽ hęc ita ſe habeant: quidam ſtultitia vel inſolẽtia ſic afficiũtur, ſi quodammodo eis arriſerit fortuna, vt elati & inſolentes effecti, diuitiis, vel imperio, vel honoribus, humiles & abiectos contemnere ac deſpicere audeant. Contra quos Latinorum poëta clariſſimus quodammodo exclamare videtur his verſibus:

> *Neſcia mens hominum fati ſortiſq; futuræ,*
> *Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.*

Si n. cogitarent animo humanarum rerum infirmitatem atq; inſtabilitatem: quamque celeriter ſublimia humilia fiunt: & rurſus infima, &, vt ita dicam, terreſtria, pernicibus & velocibus fortunæ mutationibus ſubleuantur: non ita profectò efferrentur. Quapropter manifeſtum eſt, eos qui ſtabile aliquid in rebus inſtabilibus quærunt, nõ rectè aut ſincerè iudicare. Rota enim currente,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nte, ac circumeunte, modò vna, modò altera pars ſuperior eſt, ut ait Græcorum prouerbium. Firma igitur ac potiſſima ad ferendas conſtanti fortique animo huiuſmodi alternationes & varietates, medicina eſt, ratio ipſa. Per eam namque prudentis viri animus, ad omnes humanæ vitæ mutationes & confirmatur & munitur. Oportet enim cogitare hominẽ non ſolùm ipſum mortalem eſſe natũ: verùm etiam quod res & bona ſortitus eſt mortalia. Vtenim humana omnia & mutabilia, & quotidiana & vana ſunt: ita etiam effectus, felicitates, generaliterq; omnia, quæ in vita noſtra reperiuntur, fragilia, caduca, & mortalia ſunt. Quæ ſi vitare conſilio aliquo, vel effugere poſſe ſperamus, magno in errore verſamur. Quippe qui, vt Pindarus ait, Ferreæ neceſsitati ſubiecti ſumus. Quamobrem rectè & prudenter Demetrius Phalereus, dicente in Tragœdia Euripide: Felicitatem non ſtabilem, ſed quotidianam rem quandam eſſe, quodq́ue & vna dies ſæpenumero, & alta deiecit, & humilia ſubleuauit; optimè ait, omnia poetam dixiſſe: veruntamen melius fuiſſe, ſi non vnam diem, ſed punctũ temporis indiuiſibile dixiſſet, quo humana verterentur. Cùm igitur omnia noſtra talia ſint: nihil tamen homine ipſo magis fragile, magis caducum, quodq; infinitis ſubiaceat caſibus, inueniri poteſt. Quam rem ſignificare volens Pindarus: Hominem nihil aliud eſſe ait, quàm vmbræ ſomnium: artificiosè modeſtiſſimis & ſignificanter, hyperboliſq; efficacibus, quæ qualiſque eſſet vita hominum, expreſſit. Quid enim debilius eſt vmbra: vmbræ verò ipſius ſomnio, inferius aliquid non ſolùm non dici, ſed ne cogitari quidem poſſet. Quæ Crantor, vt Plutarchus refert, imitatus, in oratione qua Hippoclem de filiorum morte conſolatur, ſcribit in hanc ſententiam. Et ſi nihil eorum quæ antiqua ſimulque Philoſophia fieri iubet, ac præcipit, nec probaremus nec reciperemus: at ſaltem hominum vitam, vt ipſa docet, multis modis laborioſam valde difficilemq́ue eſſe veriſſimum eſt. Quamuis enim ex ſui ipſius natura neque calamitoſa neque miſera ſit: tamen tum erroribus noſtris, tum etiam fortuna quadam obſcura & incerta, quæ de longinquo, & quodammodo à principio nõ boni alicuius noſtri cauſa nos inſecuta eſt, effici videmus, vt ad tantam nequitiam & corruptionem veniatur. Quapropter benè dicitur, ſtatim natis hominibus immiſceri malum fatum. Mortalia enim ſemina ſtatim cum hac cauſa communicant: ex qua latenter obrepere & ſerpere videtur, primùm animæ noſtræ hebetudo & quaſi ineptia: deinde morbi ac dolores: poſtremò innumerabilia mala, quæ homines impeditos alligatoſq́ue quaſi tenacibus vinculis tenent. Hæc Crantor. Quæ ideo hic appoſuimus, vt ſcire poſſemus, non eſſe nouum aut inuſitatum, ſi homo in miſerias & calamitates incidat, infelixq́ue ſit. Sed iiſdem ca-

ſibus, iiſdemque mutationibus, quicunque nati ſumus, & obligamur & ſubiicimur. Fortuna enim non ad certum aliquem locum aut ſcopum, ſed vbicunque libitum eſt, ſagittas dirigit iaculaturque, vt Theophraſtus ait. Aptiſſima námque eſt, a nobis, ſine vllo certo aut conſtituto tempore, ea quæ magnis laboribus vigiliiſque acquiſiuimus, auferre, deiicereque nos ex vmbratili hac felicitate noſtra. Quæ omnia cùm cuilibet benè ſentienti, tum tibi, viro prudentia & doctrina non mediocri prædito, non ſolùm cogitare in animumque traducere per teipſum facillimum eſt: verùm etiam audire antiquos illos ſapienteſq; viros, eadem ſentientes, licet. Quorum primus & maximus Deus ille poetarum Homerus eſt, dum ait:

*Cùm generet variis animalia multa figuris,*
*Quæ vel humo ſerpunt, viridiue ſub æquore viuunt,*
*Quæq; ſecant liquidum ſtridentibus æthera pennis,*
*Nil magis infirmum nutrit pulcherrima tellus*
*Debiliusq; homine, cui cùm Fortuna ſecunda eſt,*
*Diiq; fauent, nunquam aduerſos putat ipſe futuros,*
*Sed mala cum dederint ſuperi caſusq; ſiniſtros,*
*Non animo fortis, triſti ſed corde labores*
*Inuitusq; feret. Quoniam mortalibus ægris*
*Inſtabilis mens eſt: talisq; in pectore ſenſus,*
*Qualis Fortuna eſt, tribuit quam Iupiter ipſe.*

Et alibi dum Glauci Lyciorum Regis congreſſum cum Diomede narraret, Diomedemque eum, qui & ex quibus eſſet, interrogantem induxiſſet: Glaucum ei reſpondere facit in hanc ſententiam:

*Cur genus à nobis Tydide maxime quæris?*
*Quod foliis ſimile eſt frondentis in arbore rami:*
*Vtq; notus frondes ad terram deiicit imam,*
*Poſt alias virides producunt vertice ſyluæ,*
*Dum roſeo tellus floret pulcerrima vore:*
*Sic genus humanum rurſus creſcitq; caditq;.*

Quam ſententiam ipſe idem approbare videtur Homerus, ex eo, quòd in ſequentibus Apollinem, quem Deorum omnium prudentiſſimum exiſtimabant antiqui, dicentem inducit: Stultum eſſe, ſi Dii immortales inter ſe ipſos inimicitias & diſcordias exerceant, mortalium hominum cauſa, qui ſimiles foliis modò corpore viridi & robuſto ſint, modò quaſi deſiccati & corrupti, conſumuntur ac pereunt. Simile quoque his illud eſt, quod Lyricus Simonides, Lacedæmoniorum Regi Pauſaniæ dixiſſe fertur. Cùm enim à Simonide irridendo petiiſſet, vt aliquid ſapiens in medium afferret: Tunc ille, qui Pauſaniam, propter ea, quæ cum Medis terra marique geſſerat, inſolenter

ſup-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuperbumque eſſe ſciebat: Conſulo tibi, inquit, Rex, vt te hominem eſſe memineris. Quod quidem non ab re monuiſſe ex euentu poſtea compertum eſt. Paulò n. poſt, cùm veniſſet in ſuſpicionem, quòd Regi Perſarum Græciam prodere vellet, ne ab Ephoris inſequentibus caperetur, in Sacellum fugit: in quo obſeruatus, & cuſtoditus, in omni rerũ inopia magnaq; ignominia mortuus eſt, deditq; omnibus documentum, quàm fragilis caducaq; eſſet humana conditio, quæ modò in hanc, modò in illam partẽ verteretur. Quamobrem Philippus Macedonum Rex, cùm triplicis ei felicitatis nuncius eadem die veniſſet: primùm Olympiis quadriga viciſſe: quodque præfectus eius Parmenio, Dardanos pugna ſuperaſſet: tertiùm verò vxorem filium peperiſſe: ſublatis in cœlum manibus dixiſſe fertur, O dij, mediocre aliquod infortunium tot tantisq; felicitatibus meis opponatis oro. Sciebat n. prudentiſſimus Rex, contra humanam conditionem eſſe, vt hominis eodem ſtatu ac tenore diutiùs permaneret: timebatq; fortunæ inconſtantiam, quæ magnis felicitatibus inuidere ſolet. Huic quoque Macedonis ſententiæ aſtipulari videtur Amaſidis Ægyptiorum Regis opinio. Qui cum Polycratem Samiorum Tyrannum, eius imprimis amicum intellexiſſet omnium fortunatiſſimum eſſe, nihilque ei, ad illud vſque tempus, moleſtum accidiſſe, ad eum ſcribens: Quamuis mihi, inquit, iucundiſſimum ſit, virum & familiarem & hoſpitem, eſſe beatum: tuæ nihilominus magnæ felicitates mihi non placẽt, ô Polycrates, quippe qui ſciam quàm ſit fortuna inuida. Malo n. me, omnesque quorum habeo curam, partim quidem felices, partim verò infelices vitam ducere, & quaſi permutationem quandam facere potius, quàm omnino beatos eſſe. Neminem namque ex eis vnquam audiui, qui omnibus in rebus felices beatique fuiſſent, vt non miſerè & calamitoſè, quaſi radicitus euulſi, perierint. Quòd quidem veriſſimè Amaſis de Polycrate vaticinatus eſt. Non multo enim pòſt tempore, à Darij præfectis feliciſſimus ille omnium, cruci affixus, aſſequi non potuit, quod etiam infimo cuiq; conceditur, vt ſaltem poſt crudeliſſ. genus mortis, non ſub ſole ſed humi putreſceret: credo non volente fortuna: vt eum, tanquam trophæum quoddam ſuum, omnibus gentibus oſtentaret. Theramenes Athenienſis quoque vnus è numero triginta Athenienſium Tyrannorum cùm domus, in qua ſimul multi cum ipſo cœnabant, ſubitò corruiſſet, ac cæteris omnibus eliſis & ſuffocatis, præter ſpem ſolus euaſiſſet, ab omnibusque felix & beatus propterea appellaretur, inter huiuſmodi gratulationes altiſſima exclamans voce: O fortuna, inquit, in quódnam tempus me reſeruaſti? tanquam caſum ſuum, qui poſtea euenit, præuideret animo, cum ea queſtus eſt. Etenim à ſociis, & collegis Tyrannidis,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diſcerptus, & crudeliſsimè vexatus, miſerrimè vitam finiuit. Omnium verò maximè idem conſolari nos videtur Homerus, dum facit Achillem, alloquentem Priamum, qui ad eum veneret, vt corpus Hectoris redimeret. Cumque Priamus humi ſederet mæſtus, ac puluere deturpatus, eum Achilles inuitans, vt in thronum regium ſe reciperet, conſolatur his verſibus:

*Nunc agedum ſedeas Throno, ſæuoſq; dolores*
*Ponamus, mœſti quamuis, lachrymiſq; madentes:*
*Nunquam etenim luctu ſine viuere poſſumus atro,*
*Sic voluere truces voluunt quæ ſtamina Parcæ,*
*Vt miſeris gemitus ſemper mortalibus adſit,*
*Solaq; cæleſtûm natura beata quieſcat,*
*Quos neq; ſollicitat luctus, nec cura remordet.*
*Nam duo celicolûm ſeruantur Regis in aula*
*Vaſa, quibus bona ſunt donat quæ Iuppiter ipſe,*
*Et mala, diſcretiſq; cadis hæc porrigit orbi.*
*Cuiq; pater miſcet gemino de vaſe Deorum,*
*Per varios caſus vitæ iactabitur, & nunc*
*Lætitiam fortuna feret, facietq; beatum,*
*Nunc varios gemitus lachrymans feret atq; viciſsim:*
*At cui non mixtos dederit pater ipſe liquores,*
*Infelix hic ſemper erit, peruerſaq; fama*
*Hunc aget, imperio Diuûm, fatiſq; ſiniſtris,*
*Errando & quamuis totum vel circuat orbem,*
*Illum non homines non Iuppiter altus amabit*

Heſiodus quoque Homerum imitatus, licet fabuloſè, & vt poëta, ſeruiens argumento ſuo, perpulchrè tamen ac veriſsimè conditionem humanam expreſſit. Ait enim Iouem Prometheo ac generi humano iratum, quòd is Prometheus ignem cæleſtem à ſuperis furatus eſſet, communi Deorum conſilio mulierem ex luto finxiſſe, eamque Pandoram appellaſſe, ex eo, quòd Dij omnes ad eam faciendam aliquid de ſuo contuliſſent: tradidiſſeque Mercurio, eam hominibus deducendam. Quam cùm accepiſſent, ſtatim miſerias calamitateſque omnes mortalibus accidiſſe. Habebat enim ſecum hæc mulier dolium malis omnibus refertum ac plenum. Quod cùm aperuiſſet, per omnes homines mala huiuſmodi ſtatim diſperſa eſſe. Verſus autem, in quibus hæc narrat, hi ſunt:

*At Pandora cadum manibus detexit, & inde*
*Tot mala diſperſit miſeris mortalibus, vna*
*In medio ſed ſpes fundo conſtricta remanſit.*
*Nam vetuit mulier, iam iamq; exire parantem*
*Hanc tenuit, fortiq; ſeram conamine clauſit.*
*Aſt aliæ peſtes numero quas dicere non eſt,*

Nunc

*Nunc mare, nunc terras, celeri petiere volatu.*
*Hinc mortes, morbiq; truces, lachrymæq;, dolorq;,*
*Improuiſi adſunt nobis, quos nulla poteſtas*
*Effugere eſt: quoniam Diuûm pater atq; hominum Rex,*
*Abſtulit his vocem, & clam dedit eſſe nocentes.*

Ex his itaque omnibus manifeſtum eſt, cùm quid in vita moleſti aduerſique acciderit nobis, ſi grauiter id ferimus, & lugemus immoderatè, tum iniquè tum ſtultè nos facere: quippe qui legi, ſecundùm quam nati educatiq; ſumus, non obtemperamus, ſperamusque luctu & lachrymis noſtris calamitates lenire ac leuiores facere, quæ potius ab eis nutriuntur & augentur. Vt enim Comicus prudenter ait: Si lachrymæ gemituſque dolores noſtros leuare poſſent, conueniens eſſet vt lachrymas auro permutaremus. Verùm cùm mortalia omnia, ſeu lugeamus, ſeu non, eadem omnino non incedunt via, nihil amplius lugendo proficimus. Dolor namque, tanquam arbor aliqua, lachrymas pro fructu habet. His quoque non diſſimilia dicere videtur apud Tragicum Dictys, vbi Datem, de nece filij muliebriter dolentem, conſolatur his verbis:

*Diósne ſurdi credis inferni, tuos*
*Curare luctus? quos roges licet gemens*
*Nunquam redibit natus in lucem tuus.*
*Ergo quieſcens luctibus modum feris*
*Regina ponas namque ſi caſus graues*
*Hominum reuoluas, quiſque quot ferat mala,*
*Vinctis cathenis quot malus carcer premat,*
*Orbi ſeneſcant prole quot ſenes ſua,*
*Fortuna regum quot vel abſtulit potens*
*Quondam beatos, nunc qui ſunt prorſus nihil,*
*Modus querelis hic erit forſan tuis.*

In quibus verſibus animaduertendum etiam illud eſt, non abſque ratione moneri Datem, vt aliena cum ſuis comparet mala. Nihil enim eſt quod æquè ad animi noſtri moleſtias ſanandas faciat, quam ſi aliorũ hominum calamitates ponderemus, ac trutina quodammodo cum noſtris expendamus. Semper namq; alienas miſerias aut maiores, aut certè pares, inueniemus. Hocque maximè modo leuia & non grauiſſima perpeti nobis ipſis perſuadebimus. Quo genere conſolationis vſus eſſe fertur Antimachus poëta. Mortua enim eius vxore, quam afflictim amabat, elegiam, cui titulus eſt, Lyda ex coniugis nomine, compoſuit. In qua antiquas & heroicas omnes calamitates diligenter enumerans, alienis infortunijs dolorem ſuum mitiorem fecit. Quam rem ſignificaſſe etiam Socrates artificioſè ac philoſophicè multum videtur. Exiſtimabat enim, ſi Deus aliquis omnia infortunia



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vnum in locum congereret ac cumularet, humano deinde generi ex æquo ea diuidere velle ſe diceret, libentiùs vnumquemque hominum propria contentum calamitate diſceſſurum fuiſſe. Quod quidem ſapientiſſimi Philoſophi dictum nos inſtruere videtur, quòd is qui dolorem conſolaturus eſt, ſi oſtenderet, huiuſmodi calamitatem communem & humanam eſſe, multiſque ante eum aliis accidiſſe: exemplis ex hiſtoriis & ætate noſtra repetitis doceat: multò minorem calamitatem, quàm antea exiſtimabatur eſſe, dolenti perſuadebit.

Ex hac exemplorum congerie, cùm multa ſcribenti mihi ad te ſuppeterent ſuccurrerentque animo: ideo in pręſentia enumerare plura ſuperſedi, quia prudentiæ ac doctrinæ tuæ merito, per te ipſum ea facillimè inueniri poſſe, non ignorabam: ex quibus te ipſum conſolari, animaduertereq; poteris, vt cum aliis hominibus antea, itidem nunc tecum egiſſe fortunam. Si verò mihi fortaſſe dicas, Pręſul doctiſſime: id quod ego tamen, à ſumma religione & ſapientia tua cùm alieniſſimum ſit omnino, minimè te facturum mihi perſuadeo: te non tantùm Matris diſceſſu angi ac dolere, quantum morte ipſius conturbari: vtpote quæ omnibus mortalibus formidoloſa ſit: ideoque parum commodè cum genitrice tua actum eſſe exiſtimas quòd vitam cum morte commutârit: quaſi omnium malorum mors ipſa ſupremum atque vltimum videatur: ac eius propterea mortuæ tanquam miſeræ ac calamitoſæ vicem doles: poſſum tibi cum Æſchylo poëta reſpondere, qui optimè videtur eos, qui necem malam exiſtimant, reprehendere dicens:

*Non iuſtè mortem nempe mortales timent,*
*Quæ tanta vitæ finit ac leuat mala.*

Quem imitatus etiam videtur Euripides, dum ait:

*Io mors, quietis portus & ſalus, veni,*
*Veni mederis ſola quæ noſtris malis.*

Et certè ita eſt. Quapropter quid in morte aut difficile aut malum ſit, non video. Ea etenim quæ in moriendo accidunt nobis, quoniam conſueta, & quodammodo nobiſcum ſimul nata, neſcio quo pacto miſera ac calamitoſa nobis eſſe videãtur. Quid enim miſerum eſt, ſi id quod incidi poteſt, inciditur? ſi liquetabile liqueſit? ſi combuſtibile comburitur? ſi corruptibile corrumpitur? Quando fuit tempus aliquod quo homines non morerentur? aut potiùs quod non tempus fuit, quo in nobis ipſis adhuc ſpirantibus non ſit mors? Nam, vt Heraclitus ait, idem eſt viuens & moriens: vigilans & dormiens: iuuenis & ſenex. Eſtque in nobis viciſſitudo quædam & communicatio. Ac quemadmodum ex luto ſeu cera, poteſt quis animalia fingere: deinde ea rurſus confundere: aliaque identidem, ex eodem luto inſtaurare

inceſſanter: ita etiam parens natura, priùs quidem progenitores noſtros, ex eadem materia, ac ſucceſſione continuata patres, deinde nos protulit: poſtea quoque alios & alios, quaſi in orbe ac rota quadam currente formabit. Nec vnquam generationis noſtræ amnis, qui continuò fluit, areſcet. Et rurſus è contrario, alter corruptionis fluuius, ſeu Acheron, ſeu Cocytus à poëtis appellatus, non deficiet. cum hac etenim conditione in lucem editi ſumus, cum hac ſolem & ſidera ipſa ſuſpicimus, vt cùm fatalis dies aduenerit, eorum nobis aſpectus auferatur. Cuius rei vt quotidie admoneremur, prudentiſſimè natura prouidit, vt continuatis vicibus, modò dies, modò nox eſſet: modò ſomnus, modò vigilia: et hac mutatione oſtendere nobis volens, vitæ mortisq; alternationem. Quamobrem rectè dicitur: vitam nobis à natura veluti mutuam eſſe conceſſam, eamq; precario quodammodo nomine nos accepiſſe. Quod, cùm naturæ ipſi ſuum repetenti reuocare libuerit, ſi facilè ac ſine dolore aliquo reddiderimus, boni viri officium faciemus. Eſt enim æquiſſimum, tam diu liberalitate hac nos vti, quàm diu natura voluerit: cùm verò ei repetere placuerit, non moleſtè, ſed æquo & patienti animo ferre. Cuius tamen rei contrariũ omnes penè facimus, ſtatimq; ad ipſum mortis nomen ita exhorreſcimus, vt quiduis potiùs facere ac perpeti, quàm mori velimus. Ac propterea exiſtimo, naturam ipſam, cùm animaduerterit hac in re timiditatem noſtram, voluiſſe, vt incertus & incognitus eſſet dies mortis. Si enim eum præuideremus, dolore ac metũ mortis multi perirent, qui antequam moriantur, morerentur. Quod profectò non faceremus, ſi vitæ noſtræ incommoda, ſi miſerias, ſi calamitates, verſaremus animo: quæ tot ac tales ſunt in vita, vt multi ex clariſſimis philoſophis affirment, nemini omnino expedire vt viuat. Hominum enim, vt Simonides inquit, paruæ admodum ac tenues ſunt vires, inutiles & vanæ curæ, ac in eorum breuiſſima vita infiniti labores, nouiſſimoq; capitibus noſtris imminet ineuitabilis mors, cuius partem boni ac mali iuxta ſortiti ſunt. Cùm igitur talis hominum ſit vita, vt illi aiunt, & nos, ſi rectè cogitamus, oculis quodammodo videmus: nónne conuenientius eſt, vt eos, qui huiuſmodi ſeruitute liberati ſunt, felices planè ac beatos exiſtimemus, potiùs quàm dolore & lachrymis, tanquam miſeros proſequamur? Quod vulgares plerique ob ignorantiam faciunt. Ac Socrates, Delphici Apollinis oraculo ſapientiſſimus omnium iudicatus: adeò, cùm nihil mali putaret eſſe in morte, eam contempſit, vt neque patronum quæſiuerit ad iudicium capitis, neque iudicibus ſupplicauerit, ſed magno & forti animo coram ipſis diſputârit: nihil omnino mali eſſe in morte. Similem enim aiebat eſſe eã, aut profundiſſimo ſomno, aut peregrinationi

tioni cuidam longinquæ, ac multi temporis: vel tertiò, corruptioni animæ & corporis. Quodcunq; autem ex his fuerit, perſe vnumquodque procedens, nullo modo malum eſſe affirmabat. Si enim ſomnus quidam eſt mors, per immortalem Deum, quid nam mali poteſt eſſe in ea, cùm dormientibus nobis mali aliquid prorſus non ſit? Cùm potiùs nihil dulcius aut ſuauius eſſe, quam profundiſſimus ſomnus, qui pacatiſſimam quietem afferat, manifeſtum eſt hominibus. Quod quidem etiam Homerus ipſe teſtatur. Vbicunque enim dicere vult, aliquem optimè quieuiſſe, dormiſſe ait ſomnum morti maximè ſimilem. Quem imitatus eius Virgilius noſter, ad verbum interpretatus inquit:

*Dulcis & a ta quies, placidaq; ſimillima morti.*

Ac ſæpe idem Homerus, germanum Lethi, ſoporem dicit. Vtque idem prudentiſſimus vates, ſomni neciſque ſimilitudinem oſtenderet ac ſignificaret, eos alibi non fratres, ſed geminos appellauit, ac eodem partu editos. Gemini enim, maximè ſunt ſimiles etiam aſpectu ipſo. Rurſus, vt etiam inſenſibilitatem, quæ in morte eſt, nos doceret, mortuum quendam dormiſſe ait ferreum ſomnum. Quod & Virgilius æmulatus inquit:

*Olli dura quies oculos & ferreus vrget*
*Somnus.*

Huic quoque haud diſſimile eſt illud Cynici Diogenis. Cùm enim proximus eſſet morti, in ſomnumq; vt fieri ſolet, incidiſſet, excitanti medico, interrogantique: Nunquid nam mali haberet? Nihil inquit. Frater enim fratrem ſuſcipit: ſopor ſcilicet necem. Quapropter non abſurdè, medius fidius, dicere poſſemus: inter ſomnum & mortem nihil intereſſe: ſed eodem modo ad inuicem ſe habere, quo apud Athenienſes quondam Eleuſina ſacra, quæ parua & magna dicebantur. Et quemadmodum parua in vrbe: ita etiam ſomni myſteria in vita celebrari: rurſus verò, vt magna extra vrbem, ita mortis ceremonias extra vitam exerceri. Si autem, quod ſecundum erat, ſimilem peregrinationi cuidam mortem eſſe dicamus, neque ſic malum, cùm magis hoc modo, mors optimum quoddam eſt. Solui enim ac liberari corpore, eiuſque affectibus ac perturbationibus, à quibus animus noſter diuulſus ac turbatus, diuinitatem ſuam mortalibus illecebris coinquinare atque inficere cogitur, fortunatum beatumque planè exiſtimo. Infinitas namque occupationes ac impedimenta nobis, propter eius neceſſariam curam & alimenta, præbet corpus, vt Plato ait. Quam rem ſenſiſſe Homerus etiam videtur, cùm ait:

*Nil magis eſt miſerum diri quàm cura laborq;*
*Ventris, cui nobis præbere alimenta neceſſe eſt.*

A ventre, id eſt à parte, totum corpus, more poëtico nuncu-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pauit. Affectus quoque, ac ægrotationes, quotidie corporis cauſa nos aggredientes, abſtrahunt diuelluntque ab illa ſummi boni contemplatione, ad quam noſter animus, vtpote ab illo fluens, ſuapte ipſius natura fertur: ac è contrario, vanis quibuſdam cupiditatibus, & inanibus timorum amorumque imaginibus, nos replent, adeò vt, quod aiunt, nihil vnquam prudenter nobis cogitare per corpus liceat. Quid enim circa ipſum eſt aliud, quam pugnæ, ſeditiones, ac bella? Ex quibus oriuntur peſſimæ omnium cupiditates. Cuncta namq; bella pecuniæ ſolùm comparandæ cauſſa, ſuſcipiunt homines, ad quam tanto impetu ferimur, nullam ob aliam rationem niſi vt per eam, corporis noſtri cultui ſeruiamus, ex quibus omnibus neceſſe eſt, vt philoſophiæ cognitione omiſſa, circa ipſius corporis vacemus curam. Quódque omnium maximum eſt, ſi quando per eam, quod rarò euenit, otium nobis agere licuerit, conuerſique fuerimus ad altiorem aliquam contemplationem, nihil eſt, quod magis ad eius aſſequendam cognitionem nos impediat, quàm corpus. Circumquaque enim, animi noſtri diuinitatem craſſitudine ac terreſtreitate (vt ita dicam) ſua obruens, tumultum ac perturbationem ingenerat nobis, adeò, vt nunquam veritatem, propter eius impedimenta, cernere poſſimus. Quapropter luce clarius eſt, ſi cuius magnæ rei cognitionem puram, ſinceramq; habere volumus, neceſſarium omnino nobis eſſe, vt animum quàm longiſſimè à corpore ad ſeipſum euocemus. Quod quidem fieri perfectè non poteſt, niſi cùm ſummus ille rerum opifex Deus, qui nos in corporis carcerem detruſit, idem quoque nos ſoluerit. Tunc enim licebit nobis, pura & immaculata mente atq; anima, contemplari omnia. Tunc aſſequemur id, quod maximè omnes homines, & cupimus & amamus, veram ſcilicet cognitionem ac ſapientiam. Quod viuentibus nobis, corporiſq; nexibus alligatis, fieri non poſſe, niſi priùs ab eis liberati ſimus, manifeſtum eſt. Si enim omnino in corpore exiſtentibus nobis, nihil purè cognoſcere licet: de duobus alterum vt ſequatur, neceſſe eſt: aut nunquam ſapientiam, quæ eſt diuinarum humanarumque rerum ſcientia, nobis aſſequi, aut certè, mortuis permiſſum eſt. Igitur demus operam, vt, quantum fieri poteſt, viuentes, à corporis contagiis puram immaculatamque animam conſeruemus, cumq; ſummus ille parens ac Deus noſter, iuſſerit nos demigrare, cum eo ſimul eſſe poſſimus, eiuſq; claritatem, pura mente noſtra contemplari. Quam quidem rem, ſi lutulenti ac ſordidi illuc accederemus, facere nullo modo poſſemus. Impuro enim & coinquinato rem puram nitidamq; aptare atq; coniungere nefas omnino eſt, vt Plato ait. Quapropter ex his omnibus manifeſtum eſſe arbitror, quamuis dicamus mortem tranſmi-

gratio-

grationem in alium quendam locum eſſe, neque ſic formidoloſi, miſeri, calamitoſiue in ſe aliquid habere. Quin potiùs felicem ac beatam rem propemodum eſſe, Plato ipſe in Phœdone ac apologia demonſtrauit. Quamobrem diuinè admodum Socratem dixiſſe ad iudices, qui eum morti condemnauerunt, idem Plato refert, in hanc ferè ſententiam: Nihil aliud eſt, inquit, ô iudices timere mortem, quàm eum qui non ſit, putari ſapientem. Quippe, qui exiſtimatur ea ſcire, quæ nunquam cognouit expertusque eſt. Nullus etenim viuentium hominum, qualiſnam ſit mors, ſcire potuit. Quæ cùm humanarum rerum ſupremum & maximum bonum ſit, ab omnibus tamen ita vehementer cauetur, tanquam ſi reuera cognoſcerent, eam ſupremum ac maximum malorum eſſe. Cui non diſſonare videtur poëticum illud:

*Nemo necem timeat, quæ curas atq; dolores*
*Soluit, & humanis eſt medicina malis.*

His quoq; aſtipulari videntur Deorum & oraculorum teſtimonia. Plurimos etenim ſcimus, propter ſingularem pietatem, ac religionem in Deum, morte, tanquam omnium excellentiſſimo munere, donatos: quorum multos, ne modum excedat oratio, numerare ſuperſedeo. Eos tantùm, qui maximè clariſſimi fuere atque in omnium linguis & ore verſantur, nominabo. Ac primùm ea, quæ de Argiuis adoleſcentibus, Cleobi ſcilicet ac Bitone, clariſſimus hiſtoriarum ſcriptor Herodotus refert, in medium afferam. Ait enim eorum matrem, Iunonis Argiuæ ſacerdotem, cùm ad ſolenne ſtatumque ſacrificium itura eſſet extra oppidum: ad quod curru vehi, religio erat: Iamque in templum aſcendenti, vt ſacra perficerentur, cùm iumenta, quibus ad plauſtrum alligatis veheretur, in tempore non adeſſent, iuuenes, ne piaculum committeretur, corporibus oleo vnctis colla materno iugo ſuppoſuiſſe, eoq; modo à filiis adductam in templum ſacerdotem, rem diuinam perfeciſſe. Ipſam verò filiorum religione mirum in modum gauiſam atque exhilaratam, Deam precibus petiiſſe, vt illis præmium daret pro tam inſigni pietate, quod maximum hominibus dari poſſet a Deo, pòſt, epulatos cum matre adoleſcentes, quieti ſe dediſſe, manè inuentos eſſe mortuos, quaſi nihil maius aut melius morte, quod eis in religionis remunerationem daret, habente Iunone. Simili quoque precationis genere vſos Trophoniũ & Agameden Pindarus refert. Qui cùm Delphis, templum illud pulcherrimum atque ornatiſſimum, Apollini ædificauiſſent, venerantes Deum, pro mercede laboris ac pietatis ſuæ, id quod homini habere optimum eſſet, rogauerunt. Quibus ſe id traditurum Deus ſpopondit, poſt eius diei diem ſeptimum. Interea corpora curare, lætosque conuiuari iuſſit. Eos verò, poſtquam id quod mandatum erat, feciſſent, ſeptima de-

mum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eum nocte ſomno ſe dediſſe, nec ampliùs ſurrexiſſe. Ferunt etiam ipſum Pindarum, cùm Legati Boëtiorum, ad conſultandum Apollinem mitterentur, iuſſiſſe, vt Deum inter cætera interrogarent, quidnam eſſet homini longè optimum? Cui vates reſpondit: neque ipſum Pindarum id ignorare, ſi ea, quæ de Trophonio & Agamede ſcripta eſſent, re vera illius, & non alterius ſunt, ſin experiri quoque cuperet, haud multò pòſt ei manifeſtum fore. Quæ cùm audiſſet Pindarus, coniectaſſe dicitur: Deos mortem exiſtimare optimum. Paruo deinde tempore interiecto, cùm caput dormiens in ſinum pueri depoſuiſſet, ſuauiſſimè vitam finiiſſe. Ea quoque, quæ de Euthynoo adoleſcente Italo referuntur, non parua ſunt, ad fidem faciendam: nihil mali eſſe in morte. Hunc enim, patria Terinaeum, Elyſij cuiuſdam, qui primū nobilitate, diuitiis & gloria, ibi teneret locum, filium fuiſſe ferunt, ac immatura morte ſurreptum deceſſiſſe, incerto obſcuroq; genere morbi. Itaq; Elyſium ſuſpicatum fuiſſe, quod facilè quiuis alius cogitaſſet, eum fortè veneno interemptum. Erat namq; vnicus patri, ditiſſimo tum agri tum pecuniæ. Hunc igitur Elyſium, dubitantem, quónam potiſſimùm modo, de filij necis quæſtionem ageret, veniſſe ferunt ad pſychomantium quódam, ac de more, poſt ſacrificium quieuiſſe. In ſomnis viſum ſibi adeſſe parentem iamdiu mortuum. Cùm igitur eum vidiſſet, ſtatim, quid filio ſuo accidiſſet, narraſſe, rogaſſeq; mirum in modum, vt ſimul cum eo daret operam, ſi quo pacto filij ac nepotis interfectorem poſſent inuenire. Cui parens, propter hoc ſolùm, inquit, ad te venio: ſed potiùs ab hoc ſuſcipe, quodcunque tibi fert. Sic enim manifeſtè ſcies, id quod tu, tanto cum mœrore ac lachrymis, quęris. Eſſe autem, quem demonſtrabat, adoleſcentulum ponè inſeqnentem, Euthynoo ſimillimum, facie ac ætate quam proximum. Cumq; eum interrogaſſet Elyſius, quíſnam eſſet: Ego, inquit, ſum genius ac Dæmon filij tui, & cum dicto porrexiſſe ei tabulam quandam: quam, cùm Elyſius aperuiſſet, tres huiuſmodi verſus inſcriptos reperiſſe, quos Cicero ſic conuertit:

*Ignaris homines in vita mentibus errant.*
*Euthynous potitur fatorum munere læto.*
*Sic fuit vtilius finiri ipſiq; tibiq;.*

Hæc itaque ex antiquorum hiſtoriis collecta, Socraticam illam diſtinctionem adiuuare videntur. Cuius tertium erat membrum, quanquam mortem dicamus corruptionem eſſe, corporis animique, nec ſic quoque aliquid in ſe mali continere. Hoc namque modo, erit mors, inſenſibilitas quędam, ac liberatio curæ, laborumq; humanorum. Vt enim, ſi animus cum corpore interiret, nihil boni eſſe poſſet in morte, ita etiam nihil mali. Ac quemadmodum circa id tantummodò, quod ſubſiſtit ac reuera eſt,

bonum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bonum aliquid fieri natum eſt, eodem modo etiam malum. Nullum etenim illorum ſuapte natura coniungi poſſe cum his qui non ſunt, manifeſtum eſt, adeò, vt probatione non indigeat. Quapropter ſi hoc certum, ſi verum eſſet, eodem loco eſſemus ac conditione vita functi, quo eramus antequam nati. Quemadmodum enim nihil ad nos pertinebat, priuſquam naſceremur, ſiue bonum ſiue malum id eſſet, ita etiam nec poſt mortem. Ac ſicut res ante nos, nihil ad nos, eodem modo neque quæ poſt nos. Vt enim eſt in prouerbio, non tangit illos mortuos corporis dolor. Idem namque ſtatus eſt hominibus ante generationem, qui poſt mortem. Quòd ſi quis differre aliquid exiſtimat, id, quod nunquam fuerit factum, ab eo, quod poſtquam fuerit, deficiat: idem quoque intelligere poterit, quid inter domum ac veſtem, poſt corruptionem interſit, & tempus, quo hæc nondum ſuta, & illa non fabricata erat. Itaque ſi in his nulla eſt diuerſitas: manifeſtum eſt etiam, nullam eſſe poſt tempus mortis, cum eo quod ante nos fuit, differentiam. Hæc, & his ſimilia Socrates paulò ante mortem diſſeruiſſe fertur. Quibus ſimile eſt illud Arceſilai, qui vrbanè admodum, hoc, inquit, malum quod mors appellatur, ſolùm ex omnibus, quæ ab hominibus exiſtimantur mala, præſens quidem nullum dolore moleſtiáue afficit vnquam, abſens verò atque expectata vehementer cruciat & affligit. Reuera enim multi propter timiditatem huiuſmodi, quod etiam ſuperiùs diximus, ne moriantur, moriuntur. Bene quoque ac ſapienter Epicharmus de homine mortuo locutus eſt, cùm ait: Concretum & diſcretum eſt, rediitque ad eum locum vnde priùs venerat, terra ſcilicet in terram: ſpiritus verò ad ſuperiora, quorum nihil difficile ac malum eſt. Non minus quoque præclarum ac generoſum Laconicum illud tetraſtichum memoratur in primis, quod Lacedæmoniorum adoleſcentes in choris ſaltantes canebant:

*Quondam alij, nunc nos, ſubitò creſcentq́ue minores,*
*Quorum nos ſtirpem fata videre negant.*

Hæc ſunt, mi ſapientiſſime pater, quæ, vt eximiè noſti, de morte antiquiores illi & clariſſimi viri, philoſophati ſunt. Ex quibus cuiuis perſuaderi poſſe arbitror, ne dicam tibi, eminentiſſimo Præſuli, & literarum ſtudiis optimè inſtituto viro, mortem non tanquam ſummum malum, fugiendam execrandámue eſſe. Quam ob rem non eſt quòd doleas, quòd te affictes, amantiſſime res, ſi dulciſſima & illuſtris mater tua a nobis diſceſſerit. Quin potiùs, mihi crede, illi gratulandum eſt, quod ex vitæ noſtræ turbinibus ac miſeriis, ad profundam illam quietem felicitatemq́ue euolauerit. Niſi te illud fortaſſe angit & excruciat, quod adhuc firma conſtantiq́ue corporis valetudine, ac mente integra, cum

qu

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

que ſenſibus, nondum reſolutis ætate longæua in totum annis, nunquam adhuc (vt nimirum pro eius frugalitate, continentiaque ſingulari, & naturæ compaginatione mirabili, videri poterat) ſuis immaturo interitu, aut inopinata repentinaque deceſſione, Mater tua è medio ſublata eſt. Hoc enim maximè commouere plurimos homines ad lachrymas ſolet, hoc gemitus infinitos penè concitare. Quod quidem an grauiſſimum ſit, & immoderatè ferendum, præclarè ac diuinè nos docere videtur, ex Græcis Comicorum quidam, qui dolentem de immatura morte conſolatur his verſibus:

*Si tu ſciebas, illi quod ſequens bonum*
*Tuliſſet ætas, vt beatè viueret,*
*Dolenda mors eſt, quanimis fuit repens.*
*Potentis at cùm fata quid ferant Dei*
*Incerta ſit ſpes, & latent ſequentia,*
*Vnde ne vitam fortè vixiſſet miſer:*
*Benigna mors eſt, flenda nec nobis diu.*

Ex quibus Poëtæ verbis admonemur, minimè debere nos intempeſtiuis noſtrorum mortibus commoueri: vtpore cùm ſit omnino incertum, obſcurumque quid nobis vel illis expedierit, vita an mors. Illudque omnium maximè hac in re oportet expendere & cogitare, non omnia quæ vana inanique perſuaſione decepti, per eos ſperabamus, aſſequi nos poſſe. Adeò enim nihil certum, nihil ſtabile in rebus hominum eſt, vt ſperare aliquid in his, non prudentis, timere autem, ſapientis omnino ſit. Animaduertendum etiam nobis illud eſt, vitam quamuis longiſſimam, non eſſe humanis in rebus optimam: ſed eam, quæ ſine calamitatibus & miſeriis, in inquiſitione virtutis conſiſtat: eandem etiã longè omnium feliciſſimam, quamuis breuiſſimam. Vt enim non qui plurimum ſagittis ac cithara vtitur, bonus Citharœdus vel Sagittarius, ſed qui optimè, quamuis ſemel, vtrumuis fecerit, peritiſſimus exiſtimatur: ita etiam non quantum, ſed quàm bene ac feliciter, quiſpiam vixerit, inſpiciendum eſt. Ac propterea felix beatuſque, & quem maximè amarent Dij, antiquis & heroicis temporibus eſſe exiſtimabatur ille, qui vitam breuem glorioſo clauſiſſet exitu:

*Stat (enim) ſua cuique dies, breue & irreparabile tempus*
*Omnibus eſt vita: Sed famam extendere factis*
*Hoc virtutis opus.*

Quamobrem, ſummos & clariſſimos heroum, quos Diis genitos & nutritos ferunt, omnes penè vitam reliquiſſe antequam ſeneſcerent, Poëtæ fabulati ſunt:

*Ille etenim quem vel magnus dilexit Apollo,*
*Cuiq; Deûm ſummos genitor conceſſit honores,*

*Ante diem placida conſumptus morte quieſcit.*
*Nec tremula dirum limen calcare ſenecta*
*Huic dabitur: Vt Homerus ait.*

Quæ omnia illuc tendunt, potiùs in vita ſpectandam eſſe bre-uem cum virtutibus iuuentam, & ætatem vitæ intermedia quàm ſine ipſis longam & maturam ſenectam. Quod quidem a-liis quoque in rebus nobis vſuuenit. Nam & eas arbores op-timas, quæ paruo in tempore plurimum fructum afferant, exi-ſtimamus: & ea animalia, plurimum nobis in vita vtilitatis af-ferre iudicamus, à quibus temporis modico interuallo adiuua-mur. Quòd ſi rectè & prudenter conſiderare voluerimus extrem-tem ipſam, nullum penitus modici magniue temporis diſcri-men eſſe inueniemus. Quid namque non paruum eſt, ſi ad eam in-ſpexerimus? non modò ætas noſtra, quæ incredibili celeritate fu-git ac labitur, ſed vrbium quoq; ipſarum, quæ antiquitate glorian-tur, longiſſima ſecula, nihil omnino ſunt. Multa enim (vt pr-clarè admodum Simonides ait) annorum millia, eius reſpectu indiuiſibilis puncti ſpeciem, ſeu rectiùs breuiſſimæ ipſius partic-læ inſtar habent. Quomodo enim aliter appellari poteſt id, quod quantumcunq; longiſſimè diuturneq; vixerit & durauerit, tam-ne minima quidem pars eius infiniti temporis ſit, quo non va-rit aut ſuperfuerit. Quemadmodum igitur, ſi beſtiolis quæ in p-to, apud Hyppani oſtiũ, mane gigni, meridie iuueneſcere, veſpe-re autem ſeneſcere ac mori dicuntur, mens ratióue aliqua ineſſet humana, non lugendum aut lachrymandum eſſe, quilibet ſanæ mentis exiſtimaret, ſed ſi qua vel ante vel circiter meridiem pe-ret, quippe quæ paucis poſt horis interitura eſſet omnino, ne rurſus eam quæ occidente ſole moreretur, quod in extrema ſene-ctute decederet, felicem beatamq; eſſe putaremus, vtpote cui tota vita breuis & circumciſa ſit: ita etiam non eſt quod in no-de breuitate vitæ queramur doleamúsue, qui paulò pòſt om-no finituri eramus: nec è contrario longitudine lætemur eff-múrue, cuius quantumcunque fuerit incrementum, non m-tum diſtet à nihilo. Quapropter voces illæ atque exclamatio-nes, quæ vtplurimum in huiuſmodi caſibus audiri ſolent, ſimpli-citatis vanitatiſque plenæ exiſtimandæ ſunt. Non decebat, in-quiunt, non iam dico adoleſcentulam, aut in medio ætatis flore fœminam, ſed, vt eorum verbis vtar, ne adultam quidem ac ma-mè venerabilem ſummæq; authoritatis, & in ipſo vitæ autumno matronam, id eſt, in ipſo primo limine ſenectutis matremfami-lias, cui ſaltem nullo negotio, in tanta rerum felicitate, tot ici-niis, tot vitæ meritis ad quintum & vigeſimum vſque annum no-ſtri cauſſa commodè ſpatium viuendi prorogari poterat, in e-videlicet vitæ ſtatu, in quo maximè homines animi vi pollent,

im-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſipiant, reſtinctis affectibus, vera ſapere, non decebat, inquiunt, talem tali tempore rapi extinguique. Quis noſtrûm ſcite poteſt, quod non deceret? Multa quoque, quæ nos prauo & corrupto iudicio, fieri non debere putamus, priùs facta ſunt, & fiunt quotidie, fientq; ſæpenumero velimus nolimúsue. Non enim vitam hanc ingreſsi ſumus, vt tanquā Magiſtratus quidam perinde leges ferremus, ſed vt potiùs prouidentiæ ac fatorum edictis, quæ nobis Deus ille optimus maximus, omnia ſapientiſſimè gubernans & moderans, promulgauit, obedientes eſſemus. Libenter itaque ego eos qui luctu affecti, tantoperè defunctos mœrent, interrogauerim, ſuíne ipſius cauſſa, an defunctorū lugeāt? Quòd ſi hoc facere dixerint, proprio ipſorum incommodo, vtpote cùm ſe vel voluptate, vel præſidio eorum, qui paulò antè viuebāt, priuatos ſentiant: huiuſmodi lachrymas & gemitus non amoris ingenui occaſione naſci, ſed ſeruilis quodammodo lamentationis ſpeciem præ ſe ferre, quilibet bene inſtitutus nónne iudicabit? Non enim mortuos puro mentis affectu lugere, ſed ſuarum rerum cogitatione moueri dicuntur, quod eorum ſcilicet morte magnis, quas ſperabant, vtilitatibus fruſtrati ſint. Si verò, quod ſecundum erat, illa res cruciat eos, quòd mortuorum miſerias lugeant, cùm rectè animaduerterint, nihil mali eſſe in morte, vt ſatis iam diſſeruimus, dolorem citò ponent: antiqua & ſapienti quadam ratione perſuaſi, quæ nos monet ac præcipit, ea quæ optima ſunt quàm maxima facere ac exaltare, rurſus mala & peſſima, quantum fieri poteſt, cohercere atque humiliare. Quamobrem, ſi luctus ac dolor bonum eſt, eum in infinitum producamus, omnis in lachrymis gemituque vitæ noſtræ conſumatur dies, ſine mœrore ne temporis quidem particula tranſigatur. Si verò, quod omnes confitentur, & re vera eſt, omniū quæ ſunt in vita longè miſerrimum calamitoſumque cognoſcitur, cur nō potius operam damus, vt eum quam breuiſſimum faciamus, & ad nihilum redigamus, deleamusque, quantum fieri poteſt a nobis. Quod quidem facile eſſe, cum multis aliis, tum ex huiuſmodi conſolatione manifeſtum eſt. Aiunt enim ex antiquis philoſophis quendam, cùm ad Arſinoem Reginam, filij necem moleſtiſſimè ferentem, introiſſet, tali vſum oratione. Fuit quoddam tempus, inquit, ô Regina, quo Iuppiter Dæmonibus & Diis honores diſtribuebat. Luctus verò, qui tunc aberat, paulò pòſt ſuperuenit, iam tunc omnibus diſtributis. Cumque inſtaret apud Iouem, ſibi quoq; honorē decerni: Deus autem dubius animi eſſet, quénam potiſſimùm ei traderet, cùm iam omnes inter alios cōſumpti eſſent, tandem tribuiſſe honorem, qui in hominū mortibus & funeribus adhiberetur, lachrymas ſcilicet ac dolores, dicitur. Quemadmodū igitur ait, ô Regina, omnes homines Dij ve-

hementer amant, qui eos proſequuntur honoribus ac ſacriſici
nec ab illis diſcedunt, talem quoque eſſe luctum cenſeas velim.
Nam ſi eum non honorabis, nullo pacto adhærebit tibi. Si vero
à te coletur diligenter, vt facis, doloribus & lachrymis, quæ
portionem datæ ſunt ei, te & amabit & amplectetur, ſemperq;
bi tale aliquid pręparabit quo continuò eum honores. Præcla-
ſima mediusfidius fabella, & quæ non minus veritatis quam Py-
thium oraculum contineat, qua mulieri demonſtraſſe videtur
prudentiſſimus ipſe Philoſophus, & dolorem poſſe depelli, & a-
pud eum, qui blandiatur ipſi, libenter manere. Poſſet etiam hoc
modo aliquis ad lugentem dicere: Vis ne vnquam luctibus fi-
ponere, an potiùs deliberas, vitam omnem tuam in miſeria
lachrymis, continuoq; ſqualore ducere? Quòd ſi mœrorem
queris, te numero viuentium eximes, tibiq; ipſi perpetuam ca-
mitatem ac miſeriam præbebis, & acerbiſſimam vitæ tuæ inf-
citatem indices, nullam aliam ob cauſam niſi animi tui molli-
atque humilitate. Sin diuturnitate omnino mutaberis, quæ ma-
ximos luctus vetuſtate tollit & remouet, cur iam te ipſum no
eximis è miſeria? Cur non eadem ratione, qua procedente tem-
pore dolor, quamuis acerbiſſimus, efferueſcet, cur non, inquam,
te calamitate ac moleſtia liberas? Cùm præſertim optimum ſit
affectibus corporis, quantum fieri poteſt, celeriùs liberari. Quod
itaque in gratiam temporis paulò pòſt facturus es, cur non pru-
dentia conſilioque anteuertis & præripis? Quantò magis doctri-
næ, & grauitati tuæ conuenit, & rationi, finé luctus facere, quam
expectare conſuetam illam & peruulgatam temporis medicin
quæ mulieribus quoque communis eſt. Quòd ſi aliquando in
memoriam veniret nobis, homines nos eſſe iſta lege natos, v
fortunæ imperio ſubiecti mancipatique eſſemus, nunquam pro-
fectò, cùm quid aduerſi accideret nobis, frangeremur animo.
Ac propterea in huiuſmodi calamitatibus vtplurimùm vociferа-
mus, exclamamusque: Nunquam ſperaui, me hoc paſſurum
fuiſſe, nunquam expectaui, decepit me fortuna. Nunquam ex-
pectaſti? At ſi hominem te eſſe meminiſſes, expectare omnino,
& quicquid tibi euenire poterat mali, proponere animo debe-
bas. Bene etenim apud Euripidem Theſeus ait: ſe a ſapientibus
inſtitutum viris didiciſſe, homines vtplurimùm iactari curis &
calamitatibus in vita; atque ideo in animum induxiſſe ſibi ipſi,
omnes humanas miſerias ei euenire poſſe, exilium ſcilicet, mor-
teſque immaturas ſuorum, & mille talium malorum. Quæ a-
nimo non præuidiſſet antea, tanquam nouum aliquod infe-
tumque cùm accidiſſet, affligereturq; doleretque. Quam rem ſi
nos quoq; ſæpenumerò faceremus, nunquam imparatos nos &
incautos, tanquam ſubitò irruentibus hoſtibus, fortuna repen-
te

re & caperet. Quod quia non facimus, cùm vulnus aliquod inflixerit nobis, vtpote tyrones atq; inexercitati, lugemus maceramurque. Quidam etiam adeò rudes & inconſiderati ſunt, vt tanquam furore quodam perciti & bacchantes, ad extremas miſerias calamitatesque conuerſi, proprium corpus, quod ſine culpa eſt, miris & inauditis affligant modis, & vt Achęus poëta inquit, quod ſanum eſt, ſimul dolere cogant. Quapropter bene ac ſapienter monuiſſe videtur Plato, in huiuſcemodi aduerſitatum principiis, oportere quietem agi, cogitareque nos lachrymis & mœſtitia nihil profecturos, ſed conſilio & prudentia dolorem abiici poſſe; vt exiſtimemus docet. Et quemadmodum in luſu aleæ, ſecundum iactum diſponere oportet ludum, ita etiam in aduerſitatibus dolorem ſedandum eſſe, eo maximè modo, quo ratio ipſa optimè fieri poſſe ſuadet ac dictitat. Non enim decet, cùm quid aduerſi acciderit nobis, tanquam pueros vociferare, ac turpes eiulatus edere, doloremque amplecti, & quodammodo dedolere, ſed ſtatim recipere animum oportet, ac quærere genus aliquod medicinæ, quæ ægrotantes deiectosque curet & releuet. Præclarè mehercule apud Latios olim tuliſſe quidam legem dicitur, qua præcipitur ciuibus, cùm in lachrymis & ſqualore verſantur, ne muliebres induti veſtes hoc faciant. Quod quidem feciſſe videtur prudentiſſimus legumlator, vt ciuibus ſuis oſtenderet, luctum propriè mulieris affectum eſſe, quodque minimè ornatos ac bene inſtitutos viros deceret. Re enim vera eſt animi effeminati, ac imbecilli, ignobilisque officium, lugere. Eamque ob rem fœminæ magis quàm viri luctus amant & colunt, minusque afficiuntur eruditæ gentis homines quàm barbari. Ipſorum quoque barbarorum non hi qui generoſiſſimi ſunt, Scythæ aut Galatæ, cæterique animo præſtantiore nati, ſed molles & effeminati Syri, Aegyptijque, ac Lydi, omnesque his ſimiles, quorum, vt Virgilius ait:

*Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ,*

in luctu & mœrore volutantur. Quoſdam enim ipſorum, memoriæ proditum eſt, ſcrobes & foramina intrantes, multos dies ibi manere, nec Solis lucem videre ſuſtinentes, quoniam ſcilicet mortui, quos lugent, ea priuati ſint. Alij quoque ex eis partes quaſdam corporis abſcindunt, aures & nares, totumq; dehoneſtantes corpus exiſtimant propterea mortuis gratificari. Verùm cùm hæc ita ſe habeant, licet quidam fateantur, non omni nece lugendum: tamen immaturas adoleſcentiorum, & adhuc ætate florentium mortes, æquo animo ferendas non putant: ea ſcilicet ratione, quòd vitæ ſuauitate priuati ſint, vtputa nuptiis, ſolatio prolis, inſtitutione, prefectione, honoribus, magiſtratibus, cæteris. Hæc enim maximè ſunt, quæ dolore afficere ſolent eos,

qui inſperatos, immaturos, intempeſtiuosq; obitus lugent. Vi-
detur enim ſublata ereptaque ea ſpes, quam de illis conceperant
animo. Quibus illud reſpondendum arbitror: Nihil intereſt,
quantum ad hominum naturam, intempeſtiuáne ſit mors, an
matura. Cùm enim neceſſe omnino ſit, omnibus ad eam, tan-
quam communem patriam, peruenire: quídnam differre dica-
mus, ſi quidam perueniunt celeriùs, quidam tardiùs aliquantu-
lum ſequuntur? Omnes tamen in eundem locum confluant, ne-
plus aſſequantur qui tardiùs, quàm qui celeriùs appulerint.
Quòd ſi per ſeipſam mors immatura eſſet malum, acerbiora, eo-
dem modo, puerorum funera: acerbiſſima verò eorũ qui ſunt in
cunis, exiſtimare deberemus. At contrà, eorum mortes faciliter,
ſine moleſtia vtplurimum ferimus, adoleſcentiorum verò & flo-
rentis ætatis hominũ iniquiſſimè toleramus. Quod quidem nul-
lam ob aliam rationẽ, quam propter inanes, quas nobis promit-
tebamus, ſpes vſuuenit. Quippe qui expectaremus, cuncta, quæ
ſperabamus, bona omnino, ſi vixiſſent, euentura. Quapropter ſi
ab immortali Deo, vita hominũ longiſſima, ne viginti numerum
annorum excederet, conſtituta eſſet, eius, qui decennio tantùm
vixiſſet, non immaturam mortem, ſed conuenientis ætatis men-
ſura impleta deceſſiſſe putaremus. Qui verò viginti annorum ex-
pleuiſſet numerum, beatiſſimũ eſſe exiſtimaremus, quod felicem
& perfectiſſimam vixiſſet vitam. Sin ducentorum eſſet annorum
vita humana, eius, qui centeſimo anno deceſſiſſet, obitũ intem-
peſtiuum omnino eſſe iudicantes, ad gemitus lachrymasq; con-
uerteremur. Quamobrem cuiuis manifeſtum eſſe arbitror, mor-
tem non ideo eſſe dolendam, quod ante tempus venerit, cùm
parui temporis acceſſio nihil eſſet profutura, neque etiam quid
his, quæ in vita iucundiſſima exiſtimant, commodis, ab ea priuati
ſint: quin potiùs à malis, quæ communi humanæ conditionis
ſorte eis impendebant, abduxiſſe putanda eſt: In quæ ſi ad ſene-
ctam vſq; durâſſent (tanta eſt humanæ vitæ fragilitas, quod ſu-
periùs demonſtrauimus) fortaſſe incidiſſent. Aptiſſima eſt enim
hominum natura:

*In peius ruere, ac retrò ſublapſa referri.*

Atque ideo preclarum illud Callimachi poëtæ dictum memora-
tur inprimis, multò ſępiùs Troilo Priamum lachrymâſſe. Qui ſi
viuis filiis, incolumi regno, & florenti ætate, deceſſiſſet, non in
ea, quæ poſtea euenerunt, mala incidiſſet. Quæ quot, & qualia
eſſent, ipſemet enumerat apud Homerum, dum Hectori filio
perſuadere conatur, ne cum Achille ſingulari certamine dimica-
re velit, eumq; ingredi vrbem hortatur:

*Ergo agedum ſubeas muros, ſeruare ruentes*
*Vt valeas Troas, laudem neu nate ſuperbo*

Pel-

*Pelida dulci priuatus flore iuuentæ,*
*Donec mox miſeri lachrymas luctusq; parentis*
*Et ſpirantis adhuc miſerere inopisq; ſenisq;*
*Quem pater omnipotens extremo in fine ſenectæ*
*Non prius (heu) dira ſpoliabit lumine vitæ,*
*Quàm mala multa oculis cernam lachrymansq; gemensq;,*
*Omnia crudeli videamq; ruentia fato.*
*Hinc natos belli furiis & fortè peremptos,*
*Inde trahi natas thalamis, nurusq; modeſtas*
*Spemq; mei generis, paruos dulcesq; nepotes*
*Allidi terra, ſaxisq; trementia membra.*
*Heu ſæuis manibus domimur, belloq; nefando.*
*Mequoq; poſt cunctos lacerabunt dentibus, eheu*
*Quos alui, menſaq; canes, domibusq; recepi,*
*Poſtquam aliquis Danaum ſæuo vel cominus ictu,*
*Eminus aut iaculo, vita ſpoliabit inerti.*
*Hæc Priamus canos vellitq; a vertice crines.*

Eum igitur, qui hęc mala ob vitam longiorem perpeſſus eſt, plane melius fuerat, ante ſenectutem vel potius adoleſcentiam mori: Sic enim his, quæ in vita bona exiſtimantur, caruiſſet, non etiam in tot miſerias calamitatesq; incidiſſet, quarum vel minima quibuſcunque vitæ bonis opponenda eſt. Poſſum infinita Regum, & magnorum virorum exempla in medium ducere. Non eſt enim anguſtus hic locus. Si circumſpicimus omnes hiſtorias, paucos inuenimus, in quib. nõ aliquid fortuna immiſcuerit aduerſi. Qui ſi antea deceſſiſſent, à magnis, quæ poſtea inſecutæ ſunt, miſeriis liberati eſſent. Quorũ plurimos, ne modũ excedamus, omittere volumus: paucos tantùm ex Athenienſiũ, & Romanorũ hiſtoria, ſi adduxerimus, reliqua proſequemur. Primus ex Athenienſibus occurrit nobis clariſſimus ille Miltiades: qui Datin Regis Perſarum præfectum, innumerabilesq; eius copias, profligauit in campis Marathoniis, primusq docuit Græcos, non eſſe barbari Regis, vt antea exiſtimabant, inſuperabilem potentiam. Quid igitur illo felicius, quid beatius, quid glorioſius dici excogitariue poterat? Si celeberrimo illo pugnæ die pro patria occubuiſſet, vel ſaltem paulò pòſt mortuus eſſet, cùm recentem adhuc eius victoriam, in theatris vrbs tota cantaret: cùm non ſolum Athenienſes, verùm etiam tota Græcia, eum admiraretur, & heroicis honoribus proſequeretur. At exigui temporis adiectio, quid ei contulit niſi omnem calamitatem & infamiam? Paulò enim pòſt ille, qui de barbarorum cęde ac fuga, glorioſiſſimum trophęum fixerat, inimicorum inuidia in teterrimum coniectus carcerẽ, marcore & fœtido corpore mortuus eſt. Themiſtocles quoque, ſi poſt pulcherrimam omnium quæ ſub Sole fuerunt naualem de

Xerxe victoriam, cùm Græcia omnis conſeruatorem ſuum & fa-
teretur & prædicaret, vitam cum morte commutâſſet, nónne
beatus fuiſſet & fortunatus? Non enim qui paulò ante conſerua-
tor Græciæ fuerat, eiuſdem prodendæ autor ab inimicis fuiſſet ſi-
mulatus eſſet: non patria exul tot vrbes cum periculo capitis ob-
cuiſſet: non Moloſſorum Tyranno, quem toties ſpreuerat, ſup-
plex fuiſſet: non deniq; barbari Regis, quem paulò ante omni po-
tentia ſpoliatum Græcia expulerat, tanquam Dei cuiuſdam ge-
nibus volutatus eſſet. Quo quid fœdius? quid turpius excogitari
poteſt? quàm Themiſtoclem Xerxis beneficio viuere? Nónne me-
lius etiam cũ Demoſthene Oratore actũ fuiſſet, ſi eadem, qua co-
ronatus fuerat, die obiiſſet. Qui enim, toto inſpectante Athenien-
ſium populo, & approbante, virtutis & beneuolentiæ fideique
erga Remp. cauſa, dignus corona exiſtimabatur, paulò pòſt maxi-
ma inimicorum flagrauit inuidia. Quam ſi quis ideo in malis e-
ius non ponendam cenſeat, quòd ſuperior fuerit, idem tamen
non negabit, ſi eadem hora deceſſiſſet, quod non eas, quæ poſtea
ipſi calamitates inciderunt, vidiſſet, patriam ſuam, quod maximè
abominabatur, à Macedonibus ſubactam, ſe verò, ne ab hoſtibus
ludibrio haberetur, vix potione venenata vitare potuiſſe. Cn. verò
Pompeius ſi, cùm Neapoli ęgrotabat, extinctus eſſet, non præcla-
rè cum eo actum eſſe diceremus? Nónne indubitatus Populi
Rom. princeps defunctus eſſet. At quia vixit, cum Socero (vt ait
Cicero) bellum geſſit, imparatus arma ſumpſit, vrbem Italiamque
fugiens coactus eſt linquere, vidit ſenatum & legiones, florem
totius Italici ſanguinis, in conſpectu ſuo cæſos & trucidatos, nu-
dus denique in ſeruorum manus & ferrum incidit, ſacroſanctam
ac reuerendam etiam inimicis faciem Eunuchus Ægyptius im-
puris & inceſtis manibus pertractauit. Eius etiam ſocer, C. Cæſar,
ſi, cùm totam Galliam vincendo luſtrabat: cùm impetum eius
neque illarum gentium ferocitas, neque Oceani profunditas
continere poſſet, cùm plures quàm Romanorum cuiquam ſup-
plicationes, ob res geſtas in eius honorem decernerentur, ſi eo,
inquam, tempore mortuus eſſet, Scipionibus & Camillis forti-
tudine ac iuſticia prælatus deceſſiſſet. Verùm quia ſuperuixit, Ty-
ranni, & oppreſſoris patriæ libertatis appellationem ſubiit, eius-
que res, licet magnæ, tamen Reip. pernicioſæ iudicatæ ſunt, inter-
fectoresque, tanquam boni ciues, & Tyrannicidæ, tum Græcis
tum Latinis hiſtoriis honorantur. De M. autem Cicerone quid
opus eſt dicam? cum ipſemet fateatur, ſi antè obiiſſet, calamita-
tibus & miſeriis potuiſſe liberari. Quòd ſi hæc dicebat, cùm ad-
huc tamen tolerabilia eſſent quæ acciderant, quomodo excla-
maſſet? quomodo deploraſſet ſuam ipſius ſenectutem? cùm ſtri-
ctos in ſenatorum & ciuium capita mucrones, diuiſaque latroni-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bus clariſſimorum virorum bona, ac proſcriptionẽ illam omnium nefariam & crudeliſſimam vidit? Mediusfidius exiſtimo eum ſæpenumero pœnituiſſe, quòd Catilinæ ſicas vnquam deuitâſſet, à quibus cum fortuna liberâſſe videbatur, & pro vno, tantum Catilinarum cerneret. His atque aliis huiuſmodi exemplis docti & moniti, conſiderare debemus, non paucos morte liberari malis, quæ, ſi diutiùs vixiſſent, omnino experti fuiſſent. Atque ideo non benefacere illi exiſtimandi ſunt, qui extra omnem mediocritatẽ & naturam, ad luctus ac dedecores lachrymas conuertuntur, putantes hoc maximè modo gratificari defunctis, eoſque amare: ignorantes amorem ac beneuolentiam non in eo conſtitutam eſſe, vt quis ſe ipſum affligat & cruciet, ſed vt amatum beneficiis ornet. Beneficium verò mortuis eſt honor, qui eis maximè omnium gratus eſt, cùm eos dulci memoria veneramur & colimus. Etenim cum boni omnes non lachrymis & mœrore, ſed laudibus & hymnis, non luctu & gemitu, ſed glorioſa & celebri memoria proſequendi ſint: omnium tamen præcipuè defuncti, qui ſolùm à corporis ſeruitute diuiniorem quandam vitam ſortiti ſunt, ſemoti à curis & miſeriis, quas neceſſe omnino eſt nobis ferre ac perpeti, donec vitæ ſpatium, quod Parcę, ſecundum poëtas, neuerunt, expleamus. Quod quidem non æternum dedit natura, ſed vnicuique particulatim diſſectum ac diuiſum diſtribuit, quẽadmodum leges æternæ fatorum voluêre. Quamobrem (quod ſuperius diximus) prudentes viros dedecet, infinitis & barbaricis luctibus macerari, illudque quod multis ſæpenumero vſuuenit expectare, vt prius vitam quàm luctus dimittant. Quos quidem homines admonendos cenſeo Virgiliano verſu:

*Nutuit interea nos flendo ducimus horas.*

Cur ergo tam breue ſpatium vitæ noſtræ non potius aliis potioribus rebus, quàm luctu & mœrore conſumimus? Expectamúſne, vt eodem ſepulchro corpus & miſerias noſtras claudamus? Quòd ſi dolorem æternum eſſe ſperamus, in magno ſumus errore ac ignorantia. Licet enim totis viribus teneamus, licet ei libentiſſimè inhæreamus, tamen renitentibus etiam nobis, atque inuitis, aliquando relaxabitur & remittetur. Nónne quotidie multos videmus, qui impatientiſſimi calamitatum, luctuoſiſſimiq; videbâtur, qui ætate ipſa & tempore mitiores aliquantulum factos? Qui cùm paulò ante ſuorum nece quodammodo efferati, perennes gemitus ederent, manibusq; pectora tunderent, nunc conuiuiis, cantibus & lyra, cæteriſque rebus lætis, libenter diffundi atq; exhilarari? Quamobrẽ furentis quodammodo eſſe videtur, exiſtimare ac perſuadere ſibi ipſi, luctum ſemper nobiſcum ſedere, aut ſtare poſſe: ſapientis verò, conſiderare tempus illud, quod lachrymis & dolori concedimus, fruſtra teri atq; conſumi. Quicquid e-

nim factum eſt, vt eleganter Pindarus ait, infectum reddere rem omnium Deus Iuppiter poſſet, verùm huius remedium obſitum eſt. Quod etſi præter ſpem opinionemq; euenerit nobis, ipſis tamen rebus cognoſcere poſſumus, circa nos fieri, quod omnino in hominum natura conſueuit. Nónne ſuperiùs diſſeruimus, mare & terram, malorum omnium plenam refertamq; eſſe, quodq; vt faber lapides, ita etiam mala ſuper malis fata hominib. imponunt? Ac propterea non nuper, ſed iam diu, a ſapientib. quibuſdam viris vita humana defleta eſt ac deplorata. Inter quos Alcidamas Rhetor antiquiſſimus, & Cyrenaicus Egeſias, præcipui ſunt. Quorum Egeſias prohibitus eſſe dicitur à Ptolemæo, ne illa in ſcholis diſputaret: quoniam multi his auditis, mortem ſibi conſciuerent. Idem & Cicero in eo libro, quo ſeipſum conſolatur de morte filiæ, feciſſe ſe diligentiſſimè ſcribit. Qui omnes vno quodam modo fatentur ore, vitam noſtram pœnam miſeriamque nobis eſſe, maximamq; hominis calamitatem, natũ eſſe. Quod & ipſe Plato manifeſtè ſenſiſſe videtur, in eo dialogo, qui Euthydemos, vel de anima, inſcribitur. Ait n. in hanc ferè ſententiam: Tradita eſt nobis opinio quædam, famaq; inter omnes peruulgata, cognitu nõ noua, ſed omnium quæ didicimus aut audiuimus antiquiſſima, quòd ſcilicet optimum ſit homini, nunquam naſci: deinde melius eſſe mori quam viuere: multiſque, hoc ita ſe habere, à Diis immortalibus demonſtratum eſt. Quod etiam Midas, Phrygiorum Rex, comperiſſe traditur. Cùm enim Silenum in venatione cæpiſſet, eum quidnam eſſet hominibus longè optimum, quodque maximè optandum, interrogaſſe dicitur. Cui primò Silenus, nihil reſpondere voluiſſe, ſed vocem continentiſſimè preſſiſſe fertur. Poſtquam verò omnes machinas arteſq;, vt ad loquendum alliceretur, adhibuiſſet Rex, vix tandem coactum hæc poſtea locutum eſſe: O Dæmonis laborioſi, ac peſſimæ fortunæ quotidianum ſemen, Cúrnam me cogitis ea patefacere, quæ ignorare vos melius erat? Vita enim veſtra, ſi mala propria neſciretis, minus in ſe doloris habitura erat. Hominib. autem longè optimum eſt omnino non naſci: proximum autem optandum eſſe, quamprimũ mori. Hæc Plato. Qua etiam eſt ſententia in Chreſphonte ſuo Euripides, cuius verſus ſic Cicero interpretatus eſt:

*Nam nos decebat cœtus celebrantes domum*
*Lugere, vbi eſſet aliquis in lucem editus,*
*Humanæ vitæ varia reputantes mala.*
*At qui labores morte finiſſet graues,*
*Hunc omnes amicos laude & lætitia exequi.*

Ex his igitur manifeſtum eſt, antiquiores & clariſſimos, tũ poetas tum philoſophos, tum oratores, exiſtimâſſe: melius eſſe mori quàm viuere. Poſſemque infinita & innumerabilia eorum afferre teſti-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſimonia, niſi modum excederemus orationis. Quamobrem non oportet cum adoleſcentiorum tum maiorum ætate mortem lugere, quòd vitæ bonis & ſuauitate priuati ſint: cùm incertum ſit, vt ſæpe iam diximus, vtrum a bonis, an potius a malis diſceſſerint, maximè, cum nobis ſępius hæc quam illa eueniant, vtpote cum longè plura numero ſint mala, quàm bona, & hæc magno cum labore vix aſſequi liceat: mala verò facillimè, nolentibus etiam nobis & ignorantibus, occurrant. Aiunt enim ea rotunda eſſe ac continua, multiſq; cauſis & modis inuicem connexa: bona verò disiuncta, & quæ difficulter in idem vſque ad vitæ finem cōueniant & maneant. Hoc etiam imprimis hac in re animaduertere debemus & cogitare: nihil proprium poſſidere nos, ſed quæcunq; habemus in vita, dignitatem, diuitias, affines, parentes, germanos, non tanquam noſtros ſed commodatos tenere. Eſt enim tandem illud verum: nos tanquam colonos ea quæ deorum ſunt, non noſtra colere, quorum nobis illi gratis vſumfructum relinquunt, cuius tempus tanquam Domini temperant & arbitrantur. Non igitur dolendum eſt, ſi ea, quæ nobis vtenda conceſſerunt, repetunt, ſed ea reddere appellatos ſine conuitio decet. Neque enim argentarii, vt depoſitum reddant interpellati, moleſtè ferre conſueuerunt, ſi modò boni ęquiq; ſunt: alioquin his, qui non facilè ac libenter exoluunt, iure meritoq; dicere quiſpiam poſſit, Non rectè facis, qui depoſitū abnuas: an oblitus es te accepiſſe vt redderes? Quod etiam mortalib. omnib. dicere conueniens eſt. Habemus namq; omnes vitam, tanquam depoſitū quiddā Dei, cuius reddendi nobis non conditio, non modus conſtitutus eſt, quemadmodum etiam nec argentariis, ſed incertum omnino eſt, quando a nobis exacturus ſit. Quicunq; igitur id, aut moriturus ipſe, aut morientibus ſuis, grauiter moleſteque fert, nónne eū ſuiipſius ac humanæ conditionis oblitum dicemus? quod ſcilicet & ipſe homo, & ſui homines nati ſunt. Non eſt profectò ſapientis viri officium, ignorare ſe mortale animal eſſe, quod vt deficeret ac moreretur natum eſt. Maximè omnium, quæ Delphis in templo ſcripta ſunt, præclara, & vitæ noſtræ neceſſaria memorantur: inprimis duo illa: Te ipſum noſce: &, Ne quid nimis. Ex his enim dependent cętera quoque omnia. Ipſa verò adeò ſunt inter ſe conuenientia & concordia, vt in altero alterū oſtendi ac declarari videatur. Nam & in ſui ipſius cognitione continetur, Ne quid nimis: Rurſus quoque in hoc ſuiipſius cognitio verſatur. Ideo Poëta eleganter dicit: Noſce te ipſum, verbum facile ac breuiſſimū dictu eſſe, re autem atq; opere præſtare, adeò rerum omnium difficillimum, vt omnes Dij id, præter Iouem, ignorēt. Cui ſimile Satyricū illud eſt: E cęlo deſcēdit, γνῶθι σεαυτόν. Pindarus quoq; ſapiētes, inqt, viri, hoc verbū, *Ne quid nimis*, maximè

ſemper

ſemper probauerunt. Et Comicus Terentius, hoc apprimè ar-
tror in vita eſſe vtile, vt ne quid nimis. Hæc itaque duo nun-
quam cœleſtia & diuina præcepta, quicunque in animo ſem-
per habuerit, facilè poterit ſe ipſum ad omnes humanæ vitæ ca-
ſus accommodare, ipſosque modeſtè ferre. Hoc etenim modo na-
turam ſuam reſpiciens, in rebus lætis ac felicibus extra lineam non
effundetur, aut ſuperbus aut inſolens erit: neque rurſus cũ quid
aduerſi acciderit, humiliabitur, aut ſeipſum deiiciet, nec ad ge-
mitus lachrymasq; propter fortunæ animiue debilitatem conuer-
tur: Illud denique conſtantiſſimè, quod Pythagorei præcipiunt
in aureis verſibus, retinebit:

*Quam tibi tribuerit partem fortuna malorum*
*Hanc habe, neu Diuos irata voce laceſſas.*

Hoc enim ſtultiſſimi viri eſſe perhibetur: in calamitatibus iraſci.
Qui verò neceſſitati ceſſit, hic & prudens inter homines, & apud
Deos, vt Euripides ait, pius religioſusq; iudicatur. Vulgus verò,
quod incertum & indoctum appellauerimus, cum quid eis præ-
ter ſpem opinionemq; eueniat, continuò amentes & conſternati
Deos mali cauſam exiſtimant: atque ideo in omnibus dolentes
gementesque fortunam ſuam accuſant & deteſtantur: cùm non
Deus calamitatum cauſa, ſed ipſimet ſint per ignorantiam & ſtul-
titiam, quę innaſcitur eis ex indocilitate. Propter hanc itaq; va-
nam falſamque opinionem decepti omnino morti ſuccenſent.
Quomodocunque enim acciderit, cauſas dolendi & lachrymã-
di inueniunt ſtatim. Si quando etenim aliquis in peregrinatione
deceſſerit, ſubitò gementes inquiunt:

*Infelix, non te genitor, non te optima mater*
*Condet humi.*

Si verò domi præſentibus ſuis, lugent affliguntúrq;, quòd in o-
culis omnium, ex manib. ex ſinu parentum ereptus ſit. Si ſine voce
mortuus eſt, nihil aliud dolere ſe dicunt, quàm quòd verbum e-
miſerit nullum, quòd mandata non dederit. Si aliquod extremi
faucibus euolauerit verbum, huius continuò tanquam doloris
igniculi meminerunt. Cùm celeriter obiit, tanquam citò rapti
dolent. Cùm morbi genere longiori, cruciatibus tantum de lon-
gioribus moueri ac conturbari dicunt. Omnis demum occaſio
ſufficiens eſt, ad eorum luctus concitandos augendosque. Quod,
vt ſæpius diximus, ideo euenit, quia non cogitant ſe eſſe homi-
nes, ſed quodammodo immortales ſeipſos & felices ſemper fu-
turos putant, atque ideo in propinquorum mortibus Deosq;
aſtra vocant crudelia: Quę tamen benigniùs nobiſcum agunt, q̃
noſmetipſi conſuleremus nobis, ſi id poteſtate arbitrioq; noſtro
diſponeremus. Quis enim ſcit, an forſitan ille mundi arbiter, &
gubernator Deus, non Domini aut Regis, ſed parentis vice, hu-
manam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

omni generis curam gerens, cum diuinitate ſua præuideat ea quæ omnino euentura fuerant mala, quoſdam propterea, quod in ea incidiſſent, è vita, vt nos credimus, intempeſtiuè, vt ipſe iudicat, maturè abducit? Quamobrem exiſtimare debemus eos nihil miſerum calamitoſumque pati. Nihil enim graue mortalibus quod neceſſarium eſt, neque eorum quæ rationabili cauſa, neque eorum quæ conſequuntur, accidunt. Cogitare quoq; nos decet, vt plurimum necem ante multa, quæ impendebant, mala veniſſe: quodque pluribus neq; vnquam naſci, quibuſdam naſci tantum, & ſimul mori, alijs adoleſcentiam vſque, nonnullis paulò vlterius ad ſenectutem prouehi, vtile ac commodum erat. Omnes igitur huiuſcemodi mortes, æquo animo ferendæ ſunt: præſertim cum ſciamus eam nullo ingenio aut arte noſtra euitari poſſe. Eſt etiam docti & benè inſtituti viri officium, in mente illud habere, accidentium idem cogitare: Quod hi, quos putamus maturè deceſſiſſe pòdiu nos (ſi quid tamen diu mortalibus eſt) ſed potius breui temporis puncto præceſſerunt, ac citò ſecuturos dimiſerunt. Quod quidem vſque adeò non cogitant, nec animaduertunt multi, vt prius eos, quos ſic muliebriter fleuerant, inſecuti ſint, etiam luctum & miſeriam depoſuerint, nullam ex huiuſmodi affectione lachrymiſque leuationem calamitatum ſuarum inuenientes, ac fruſtra, ſeipſos tantùm mœrore cruciantes, mortui ſunt. Quod inſpicientes nos, eorum exemplo moniti, id breuiſſimum tempus quod nobis conceſſum eſt, non dolentes continuè tabeſcimus, neque miſerrimo luctu & gemitu nos ipſos corrumpamus: ſed, quantum fieri poteſt, modeſtè humaneq; toleremus & perferamus, demuſque operam, vt viros inueniamus, non qui nobiſcum ſimul doleant, ſed illos procul à nobis expellamus, quemadmodum Euryali matrem incendentem luctus, Ilionei nominis Troiani, forteſque & conſtantes viros quæramus, qui graui generoſaque conſolatione miſerias noſtras leuent & conſolentur. Quòd ſi fecerimus, vano inaniq; mœrore liberati, hoc, quantumcunque vitæ noſtræ tempus futurum eſt, ſine tumultu, ac perturbatione animi, quietè feliciterq; agemus. Optimum enim ad dolorem ſedandum erit, ſi venerint in mentem nobis ea, quæ ſæpenumero in ſimilibus calamitatibus, tum amicis, tum affinibus noſtris diximus, & conſuluimus. Neque in hoc (vt Seruius ait) imitemur malos medicos. Vt enim illi alienis in morbis profitentur tenere ſe medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt: itidem etiam nobis ipſis, iiſdem quibus alios conſolati ſumus verbis, nihil ad leuandas animi moleſtias proficere videbimur. Quos quidem, ſi quis taliter affectos videat, non abſurdè notiſſimo Comici verſu, paucis immutatis, irridere poterit: Facilè hic, cùm valebat, recta cõſilia ægrotis dabat. Quòd ne nobis eueniat,

eueniat, diligenter cauendum cenſeo. Quin potius animi noſtri mœrorem, Pharmaco rationis curemus; quantum fieri poteſt, celerius, nec lenti aut negligentes eſſe debemus in huiuſmodi curatione, ſed peruigiles ſine intermiſſione aliqua vulneris ſanitatem quærere. Nam cùm omnis rei dilatio noceat, vt Heſiodus inquit, omnium maximè periculoſa, plurimumq. detrimenti afferens dicenda eſt pœna, cùm grauiſſimi animæ affectus & morbi, dolorisq; ſanatio in aliud tempus differtur. Proponamus etiam nobis oportet clariſſimorum virorum exempla, qui magno & forti animo ſuorum mortes tulerũt, adeò vt ea quæ omnes alij aſpera æſtimant, magnanimitate animi ſui lenirent placidè ferendo. Inter quos præcipuus memoratur Anaxagoras Clazomenius, qui, de rerum natura cum amicis quibuſdam notiſq; diſſerentem, ferunt, cùm filij mors ei nuntiata eſſet, quietũ ſe continuiſſe: Paulò enim pòſt conuerſus ad præſentes, Sciebam, inquit, filium me genuiſſe mortalem. Quem imitatus fuiſſe dicitur diſcipulus eius Pericles, Athenienſiũ in repub. princeps, Olympius, propter ſingularem prudentiam & fortitudinẽ animi, cognomento appellatus. Cùm enim duos, octo dierum ſpatio, filios, & adoleſcentes optimos, Paralum & Xanthippum amiſiſſet, nihil tamen inopinato caſu turbatus motuſq; eſt, quo minus poſtera die, de patriæ ſuæ conſuetudine ac more, veſte alba indutus, coronatuſque in concionem veniret, Athenienſiq; populo prudentiſſimè de tota belli gerendi ratione conſuleret: adeò conſtanter & fortiter, vt omnis eum populus & admiraretur & coleret. Xenophon etiam Socraticus, cùm rem diuinam faceret aliquando coronatus, audiſſetq; filium, Grillum nomine, quem vnicum habebat, in expeditione deceſſiſſe, corona ſtatim depoſita interrogauit, quónam genere mortis obiiſſet? cumq́ue intellexiſſet eum generosè forterq́; pugnantem, magna prius hoſtium ſtrage facta, ſtrenuè occubuiſſe, dolorem ratione frenans & continens, paruo pòſt horæ ſpatio, & coronam capiti repoſuiſſe, & inceptum ſacrificium perfeciſſe dicitur: locutuſq́; ad eos qui nuntiauerant: Deos, inquit, rogaui, vt filium mihi non immortalem, neque longæuũ darent, quippe qui, an hoc ei expediret, ignorarem, ſed vt optimum, patriæq; amatorem, facerent: quod me impetraſſe video, ideoque voti compos gratias illis debeo. Dionem quoq; Syracuſium, Platonis familiarem, domi ſedentem cum amicis, ferũt magno ſublatoque tumultu & clamore facto inter familiares, cauſam requiſiuiſſe. Vtq́; intellexit filium, quem habebat puerũ, quod ex altiori loco ceciderat, mortuum eſſe: nihil motum turbatumúe mandâſſe mulieribus corpuſculi curam, vt ſecundùm patriæ leges ſepeliretur, dicunt: ipſum verò ad amicos conuerſum, ea, de quibus antè conſiderabat & loquebatùr, non reliquiſſe. Hos quoq; viros

ſtinatus eſſe videtur Demoſthenes orator: qui filia, quã vnicam habebat, amiſſa, ſeptimo die indutus albis veſtibus, coronatuſq; proceſſit in publicum, Dijsq; ſolenni more ſacrificauit & gratias egit: quod Æſchines, itidem orator, eius æmulus, poſtea publicè obiecit, inhumanum durumque appellans Demoſthenem. Sed profectò lædendi accuſandiq; cupiditate adductus Æſchines, nō vidit, quod per ea quæ probro dabat, eum magnopere laudare videbatur: Oſtendens, quod caritatē patriæ atque amorem, dolori quem de filiæ morte cōceperat, prætuliſſet. Rex verò Antigonus, audita filij Alcyonei morte, qui dimicans magno animo medijs in hoſtib. occubuerat, aliquantulum tacitus ſtetiſſe fertur. Deinde ad circumſtantes verſus, paulumque turbatus, O Alcyoneu, inquit, tardiùs quidem opinione mea cecidiſti, ſcio: audacter in hoſtes impetum faciens: vt neque ſalutis tuæ, neque admonitionum mearum curām habueris. His clariſſimis viris, fortitudine animi non inferior memoratur apud Romanos Horatius Puluillus Pontifex Maximus: cui templum Iouis in Capitolio dedicanti, cum mors filij eſſet renuntiata, nihil tam inopinato caſu commotus, cœptum ſacrificium perfecit, ſolemniaque carminis pontificalis verba, non luctuoſa & gementi, ſed clara & conſtanti voce concepit. Vt verò domum redijt, filium luxit aliquantulum, eoque funere in Capitolium reuerſus eſt, læto atque hilari vultu. Paulus etiam Æmilius, qui deuictis Macedonibus, ſpecioſiſſimum & nobiliſſimum triumphum egit, duos ſeptem diebus filios continuatis funeribus extulit, nec tamen animo conſternatus fractuſque eſt. Cumque in forum, qui paulò antè duobus natis vtrinque fulcientibus veniebat, ſolus orbatuſq; deſcendiſſet, frequente Po. Ro. immotus ſtetit, concionatuſque eſt: Deos ſe ipſe præfatus, vt ſi quid propter immodicas felicitates inuidiæ apud ſuperos Reſpub. contraheret, id potius ſuo quàm publico damno ſolueretur. Quod cùm impetrâſſet, gratias dixit ſe magnas Deo habere atque agere. Nec L. Bibulus, C. Cæſaris Dictatoris in conſulatu collega & aduerſarius, prætereundus eſt. Cuius duo filij, per omnem rerum verborumq; contumeliam ab Ægyptio milite prius habiti, poſtea crudeliſſimè necati ſunt. Idem tamen poſtridie eius diei, quo geminum funus renuntiatum eſt, in forum ſenatumq; proceſſit, ad ſolita & publica officia obeunda. Ipſeq; C. Cæſar, cum in Britannia militaret, audita nece Iuliæ filiæ ſuæ, Pompeio Magno nuptæ, quam primùm vt filiam, deinde tanquam potentiæ ſuæ cauſam inſtrumentumque diligebat, eam tamen ſatis exiſtimauit honoratam, ſi triduo luxiſſet: atq; ita intra tertium diem finito luctu, ſe militum conſpectui reddidit, imperatoriumq; munus ſtrenue obijt. Eius etiam nepos, & per adoptionem filius, Diuus Auguſtus, liberis, nepotibus, & omniū ſuo-

rum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum Cæſarum turba, exhauſtus orbatuſque, cunctorum ma
fortiſſimè tulit. Digniſſimus etiam eſt, qui in hoc fortiſſimo
virorum numero referatur clariſſimus vir M. Fabius Maximus
ea familia, quæ toto Latio, in ipſa denique vrbe Terrarum
gentiumque Roma, ſemper ſapientiæ domus, militariſque di
plinæ habitaculum, & dicta & habita eſt: cuius ſingularem c
ſtantiam fortitudinemque animi, ætate noſtra incredibilem
dimus. Huic aliquando negotium publicum gerenti, eo in ma
ſtratu, qui ſenatori proximus ædilitas appellatur, nuntiatum
vno eodemque die, primo ædium ruina obtritam vxorem, ſin
laris pudicitiæ fœminam, formæque dignitate conſpicuam
inde quam vel ſola ſenectus (erat enim annoſiſſima) vene
lem inuiolabilemque feciſſe poterat, Matrem cariſſimam, pa
calamitate, ac ingenti mœrore animi, ſimul repentè extinctam
cuius ille prudentia, præcipuoque & ſupra naturam muliebri
conſilio, ſummam in rebus tam publicis quàm priuatis laude
autoritatemque ab ipſo Magiſtratus ſui primordio, primo æta
flore fuerat aſſecutus: quam nemo erat qui non putaret prop
auitam incorruptamque eloquentiam, & certè ob quandam
priſcam Sabinarum grauitatem, vel noſtri ſæculi alteram Ho
tenſiam, aut Gracchorum matrem Corneliam. Poſtremò aut
allatum eſt, filium adoleſcentem optimæ ſpei, quem vnicè a
rè humaniſſimus pater non minus etiam propter morum elega
tiam diligebat, proximè in Vmbria, cùm ex agro Piceno reu
retur, deceſſiſſe. Cuius nuntii acerbitate lachrymabili & pro
inaudita, commoti conſternatique, qui circa illum erant, co
gæ ac familiares cùm lugerent: ipſe ſolus, commotis omnibus
vultum non flexit, nec a negotio publico conuerſus eſt. Ho
que viros vt plurimum homines propter animi magnitudinem
verbis & laudant & admirantur, re autem atque opere imita
propter animæ imbecillitatem non poſſunt, quę, vt iam dixim
ex ignorantia eis innaſcitur. At viri docti, optimeque inſtru
his, quas ſuperiùs enumeraui, cauſis rationibuſque adducti, fa
cilè præſtant. Quorum multos cùm ex Græca tum Romana
ſtoria numerare poſſem, niſi hos paucos ad rem noſtram prob
dam ſufficere putaremus. Hos te, vt facis, imitari pro tua prude
tia & doctrina decet, eorumque veſtigia ſequi potius, quàm co
muni vulgarium hominum errore duci: cogitantem id qu
periùs etiam diximus, eos, quos Deus maximè diligat, ſiue a
doleſcentes, ſiue ætate intermedia, aut adhuc conſtanti & vi
ſenecta vigentes, vt plurimum tunc, cùm ab illo diliguntur, mo
ri. Quorum è numero ſuauiſſima dulciſſimaque genitrix, & pro
culdubio ſancta, mater tua exiſtimanda eſt: Quæ cunctis matro
nalibus functa officiis, omnibuſq; naturæ atq; fortunæ mune
bu

[illegible] ornata & prædita, ſuperſtitibus florentiſſimis filiis, amplissimo pontifice, & fortiſſimi animi viro germano tuo, ſtrenuo milite, domiq; & foris nobiliſſimo Duce, ætate penè ſua, suoq; tempore, læta gaudensq; deceſſit, dilecta amataq; omnib. & in ſummo venerationis honore ſemper habita, & culta, cùm ob virtutis ſanctitatem, tum propter morum elegantiam ac ſuauitatem, ſummo tuo vtpote filio obſequentiſſimo, in cuius præclara & [illegible] ſobole, creſcentiq; & ſummæ ſpei prole, paterni generis ſplendorem & maternæ ſtirpis gloriam agnouit, clemens & pia. Tibi autem, quem parentis loco amabat, venerabatúrq; pientiſſima, & ſummè officioſa. In cuius n. admirabili ingenio facundiaq; cæleſti, decus Imperii & Maieſtas Romana, priſco ſuperiorum ætatum laudatiſſimorúmq; principum ſæculo, nõ ceſſit, ſed [illegible] mouit, & vigorem antiquæ virtutis Germanorum oſtendit [illegible] illa ſibi complacuit. In cæteros verò tum benigna tũ affabilis [illegible] humana. Seniores quidem honore obſeruantiaque ſingulari, ipſamet venerabilis & obſeruanda, religioſa quadam [illegible] imagine proſequebatur. Æquales autem, & ſui ſtemmatis [illegible] illuſtres Rheni & ciuitatis ſuæ fæminas, amore atq; affabilitate dulciſſima complectebatur. In hoſpites quoque, ac ciues & ſubditos, comis & liberalis, adeò vt eam ciuitas tota & amaret & laudib. prope diuinis proſequeretur. Quod etiam extremo eius funere declarauit. Eam enim in omnibus pietatis officiis, quę omnis exhiberi poſſunt, decorauit, nomenq; eius in omniũ ore atq; linguis, non ſine magna virtutis eius ac morum cõmemoratione, vel potius ſtupore, verſatur. Fuit hęc vnica ſplendidiſſimę domus Domina, & Regnatrix: tam inaudita manſuetudine, grauitate, vigilantia, exemplo, diſciplina, vt ad ſummum nata imperium videretur. Ad hæc virtutes alias vt prætercam, quæ difficillimè in illo ſexu, perpetuo tenore ætatis, ſimul coniungi poſſe putantur, doctrinam, eloquentiam, pudicitiam, modeſtiam, omnibus hæc illis ita ſæculo noſtro præſtitit, vt iam toto vitæ ſuæ tempore non amplius mortalis, ſed perennis, & cuidam Deę cæleſti, æternoq; numini ſimilis futura crederetur. Quibus de rebus ſummo ſemper honore habita nomen ſibi clariſſimum peperit, famamq; de ſe poſteritati immortalem reliquit. Huius igitur matronæ & clariſſimæ fæminæ mors, cui omnia, quę merebatur, officia pro inſignibus virtutibus & viuæ & mortuæ, tributa præſtitaq; ſunt ab omnibus, mediocriter toleranda. Quin potius ei gratulandum reor, quod ex hac fragili caducaq; vita, tãquam è ſympoſio, priuſquam in ebrietatem, id eſt, decrepitæ ſenectutis moleſtias incidiſſet, libera ſit. Quòd ſi Poëtæ clariſſimi aiunt, & Philoſophi docent, nos verò à ſanctiſſimis religionis noſtræ parentib. inſtituti, & moniti, certiſſima & inconcuſſa fide tenemus, eos

qui religioſè pieq; vixerunt, in cælum euolare, vbi felices bea-
perpetuo æuo fruantur: Optimè ſperare te de matre tua deni-
am quoq; cùm taliter vixerit, in eorũ numero futuram om-

Hæc ferè ſunt mi amantiſſime & veneratiſſime Pater Ioan-
quæ in mentem mihi, dieſq; noctesq; de te cogitanti, & dolo-
meum cum tuo comparanti, venerunt, quibuſq; adhortan-
mihi viſus es ad leuandam moleſtiam angoremq; animi tui. Q-
tecum communicaui, vt amici ac beneuolentiſſimi officio fu-
rer, non ſine commemoratione aliqua laudum virtutumq; ſ-
uiſſimæ, tantiq; nominis fœminæ, Matris tuæ. Quarum pro-
pore memoriam feci, aliâs latius, pro arbitrio tuo & amicitia
ſtra, id facturus, vt ſaltem, quantum in nobis eſt, quæ breui-
bi nec ſatis diu vita, gloria ſibi quàm longiſſimè viuat. Recte
que atque prudenter facies, ſi generoſi fortiſq; viri, è tali m-
geniti, officium præſtes: Si animum tuum ad te reduxeris ſ-
pſum ex ſqualore ac miſeria leuaueris: ſi ad priſtinam viuendi
ſuetudinem reuerteris. Da hæc mihi, amico & familiari tuo, r-
ganti monentique: Da propinquis: Da etiam ſuauiſſimæ om-
busque ſæculis celebrandæ fœminæ Matri tuæ: quæ, in qua-
cæli parte ſedet, dum luctus lachrymaſq; tuas percipiet, quo e-
te amore ac pietate ſingulari fuit, non libenter afflictum aſp-
Da hoc illibatis intemeratiſq; Virginib. noſtri ſæculi integ-
mis: quæ aſſidua & nunquam intermoritura beneficiorum
recordatione, die noctuq; ſacris operantur, rerum omnium o-
ci & liberatori Deo, eiuſq; filio, cęlorum Regi, in Hymnis & C-
ticis iugiter pſallunt: Da hoc honeſtarum mulierum cœtui,
ſanctę viduarum conſocietati, quæ tuæ parentis opibus, qua-
bi defunctam ſatis luxerunt, vtique viuunt, & beneficentiæ il-
memores inuicem ſanctimonialiter ſuſtentantur: Da hoc vene-
bili & augusto Eccleſiæ tuę collegio, in quo tot nobiles & cla-
ſimi homines conſpiciuntur, tot generoſi eruditiſſimique vi-
pręſule ſapientiſſimo gaudent & perfruuntur: Qui licet om-
per vniuerſam propè Germaniam, pia inter ſe animorum conco-
dia, & perpetua in te veneratione & obſeruantia, vbiq; ſint no-
ac probatiſſimi cenſeantur, reliquis tamen in prouinciis & nati-
nibus, te optimo Antiſtite, quietis fundatore, alumno religion-
& optimarum artium amplificatore, ſummoq; virtutum p-
beati, pro tuorum inſigniis ornamentorum, omnino celeb-
habentur: Cuius fama cęlum penetrat completque: Cuius p-
geſta ſparſa ac diſſeminata ſunt, in laudis pręconiorum memo-
am ſempiternam: Cuius dignitas in arduis & grauiſſimis admi-
ſtrandi totius orbis terrę conſiliis, Diuo Cęſari & inuictiſſ. Imp.
Maximiliano, ęterno principi (cuius nutu ſola terrarum ſanctiſſi-
mè, iuſtiſſimè ac clementiſſimè reguntur & temperantur) dies &
noctu

pedes ſemper affixa, vix poteſt vel tempora ſubciſiua recreandis membris corporis tranſmittere. Et tamen ex admiranda tui altiſſimi ingenij abundantia, cui nihil eſt ignotum, cum omnium admiratione circumfuſis vndiq; negotijs, tanta ſapientia, & elati celſiq; animi altitudine, vbiq; magnus occurris, vt omnes omniũ gentium oratores, omnes nationes te ſuſpiciant, obſeruent, & admirentur, quodq; admodum paucis euenit, vnicè diligant, ſingulariter & vehementiſſimè ament, mirificisq; laudibus ad cælum efferant. Quo tibi celeriùs luctum cenſeo deponendum. Da hoc etiam populo tuo fideliſſimo, id potiſſimum precanti & requirenti. Totus enim, queádmodum amplitudo tua nouit, ex te vel maxime dependet. Da hoc vrbi tuæ, & clariſſimæ ciuitati, cui te Deus ad ſalutem Reip. Chriſtianę, & generis humani commodo, præfecit. Poſtremo da hoc fratri tuo, qui rerum tuarum admirator, & certiſſimus imitator, cum ſit hoc tempore communi genitrice non mediocriter exaſperatus, non eſt pietatis erga eum tuę luctum intendere, triſtioremq́ue tua triſtitia facere. Quod etiam antehac feciſtis, ita vt vobis nihil, ſublata è medio matre (cui vos viuentis ambo etatis tanquam duo lucidiſſimi oculorum eius radij quæcunque ad pietatis officia pertinet, niſi numerum, quem illa triplici beneuolentię nexu, & mutuo amoris vinculo, ſuę corporalis præſentiæ ternarium reddere ſolebat, omnino deeſſe ſentiatis. Vale. Romę, ex palatio Apoſtolico VII. Kal. Nouemb. Anno ſalutis noſtræ.

M.D.II.

*FINIS.*